INSTITUTIONES
THEOLOGICAE

AUCTORE

JOANNE BAPTISTA DALL' OCCA

SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTORE COLLEGIATO, AC BONONIÆ IN PATRIA UNIVERSITATE PUBLICO PROFESSORE, NEC NON PERINSIGNIS COLLEGIATÆ S. PETRONII CANONICO.

EDITIO ALTERA

TOMI I. PARS I.



LUCÆ MCDDLXXXIX.

Typis DOMINICI MARESCANDOLI

Cum Approbatione.

MONITUM

Ex Prima Editione excerptum

PHILIPPI LANDI

IN SEMINARIO LUCENSI RECTORIS

LECTORI BENEVOLO.

Est quod te paulisper in limine ipso hujus Operis teneam; Lector humanissime. Non levi aliqua rumoris aura, sed communi & constanti fama, & auditione doctorum hominum, maxime vero sermone eruditissimi sapientissimique Archiepiscopi nostri Joannis Dominici Mansi magna excitata jamdiu fuit apud nos opinio excellentissimi Sacræ Theologiæ Doctoris Can. *Joannis Baptistæ dall' Occa* Bononiensis. Auxit eamdem præstantissimus item Sacræ Theologiæ Doctor *Franciscus Franceschi* noster, qui è ludo & disciplina ejus ad disciplinam, & institutionem nostrorum ho-

rum Clericorum vocatus grandem secum attulit facultatem ex ejus officina depromptam, confirmavitque voce ipse sua præceptis illius instituta, & diutina exercitatione perpolita; adeout nihil aptum magis, magisque appositum ad peritiam Theologicarum rerum Juventuti huic nostræ, quam scripta ejusdem Præceptoris sui tradi posse videretur. At cum bona apud nos posita consuetudo per optimum Philosophiæ Lectorem nostrum *D. Sebastianum Sacchetti* Congr. Rhen. Can non uti antea in codicem referendi quæ legebantur, sed interpretandi Auctorem aliquem, ut ipse Institutiones Philosophicas Clariss. *P. Francisci Jacquier*, probaret cunctis quanto id esset discipulis commodo, quantæ in studiorum curriculum celeritati; putavi & his, qui brevi daturi erant operam Theologiæ, consulturum me satis, si scripta illa universa in varios libellos dispersa in unum veluti corpus collecta, typisque excusa in communem lucem darentur ad interpretandum similiter non modo in præsens, sed & in posterum tempus omne. Pugnatum fuit vario veluti marte, nec leviter quidem cum Auctore consilii hujus conscio: hinc enim spes non dubia magnæ progressionis ad virtutem; illinc tum modestia, quæ in eo summa, est tum laboris moles, quæ in expediendo hoc nego-

go-

gocio ſuſtinenda erat: hinc incitatio amicorum: illinc cautio maxima ac pene religio, quam ſemper habuit in reprehendendo dicta hominum in quibuſdam quæſtionibus aliter, ac ipſe ſentientium: hinc pollicitatio editionis perbellæ, caſtæ, atque integræ; illinc diſſuaſio veterum auditorum, qui aliquam in ſcriptis, quæ acceperant, varietatem pertimeſcebant. Vicimus tandem, manum dedit Auctor, cenſoris perſonam & quidem ſeveriſſimi induit in ſua, omnia acute ſubtiliterque polivit, ad exquiſitiſſimum ordinem retulit, de ſcripto & non aliter juſſit in lucem edi: quod factum eſt. Tuum modo, Lector humaniſſime, probe decernere, an aliqua in hac re major perſpicuitas & evidentia, vis & copia, robur & firmitas, ſimplex veritatis ratio, ſolers ſubtiliſque deſcriptio partium, pacis & concordiæ amor, illa, quæ a Græcis dicitur *adiaphoria* nempe neutram in partem inflexio, prudentia denique, eruditio, & doctrina major fieri poſſit. Polliceri equidem mihi poſſe videor, te vel uno aſpectu rerum in eam venturum ſententiam. Auctorem hunc præſtantiſſimum illum eſſe, qui de arte docendi Theologicam Facultatem noſtra ætate jure concedat nemini. Certe, ſi quid experientia valet, ſi grave eſt judicium ſapientiſſimi hujus Archiepiſcopi noſtri,

ſtri, quem iterum honoris cauſa nomino, qui (quæ ſua mirifica humanitas eſt & amor litterarum) ſæpe ſæpius intra domeſticos hoſce parietes Tyrones noſtros de eiſdem quæſtionibus diſputantes lubens audivit; præclare nobiſcum agitur ex quo interpretatio libri hujus fieri hic cœpta eſt. adeo adoleſcentium ingenia acui, circumveſtiri eruditione, argumentando vidimus corroborari. Quæ omnia non aſſentatorie, ſed intime dicta velim accipias. Vale.

JOAN-

JOANNIS DOMINICI MANSI

ARCHIEPISCOPI LUCANI

In hoc Opus Censura.

COnceptæ jamdudum existimationi de ingenio, doctrinæ præstantia, docendi perspicuitate ac facilitate, Theologicarumque rerum peritia Viri clariss. JOANNIS BAPTISTÆ DALL'OCCA in Universitate Bononiensi Professoris Opus istud inscriptum: *Institutiones Theologicæ &c.* mihi approbandum exhibitum respondet penitus. Admiratus in eo sum opinionum delectum, argumentorum soliditatem, ordinem facilem ac native fluentem, copiam ubertatemque doctrinarum, omnis generis eruditionum ac demum orationis perspicuitatem singularem. Hæc autem omnia cum me delectatione maxima affecerint, idcirco non solum approbandum, tradendumque nostris Lucensibus Typis committo, sed & legendum, terendumque manibus omnibus Ecclesiasticis meis suadeo. Lectoribus vero Theologiæ Dogmaticæ Seminarii Cathedralis hujus meæ Lucensis injungo, ut illud in Scholis publice legant & palam explanent. Ita provisum fore spero, ut Alumni ejusdem Seminarii Theologicum cursum auspicato incipiant & feliciter absolvant ad majorem Dei gloriam, & Diœcesis hujus, quod mihi in votis est, singularem utilitatem.

Dabam ex Ædibus meis Archiep. hac die 23. Maji 1766.

Jussu Illustrissimi & Reverendissimi Domini Philippi Sardi Archiepiscopi Lucani &c. vidi Librum, qui ita inscribitur, *Institutiones Theologicæ auctore Joanne Baptista dall' Occa &c.*; nihil vero in eo continetur, quod vel fidei, vel moribus consentaneum non sit: imo dignissimum esse censeo, quantum in me situm est, qui in lucem prodeat ad publicam omnium, qui operam Theologiæ navant, utilitatem.

Datum Lucæ XV. Kal. Decembris 1789.

Franciscus Franceschi
Sacræ Theol. Doctor, & Publicus
in Lucensi Gymnasio Dogmaticæ,
& Eccl. Histor. Lector.



IMPRIMATUR

FRANCISCUS ARCHIPRESB. DE NOBILIBUS
VICAR. GENERAL.

CÆSAR LUCCHESINI ILLUSTRISSIMI OFFICII
SUP. JURISD. PRÆP.

PRÆ-

PRÆFATIO

THeologia, *juxta vim Græci nominis*, *est* sermo de Deo. *Sed cum de Deo possit quis sermocinari tum ex naturali lumine, tum ex supernaturali, hinc Theologia alia est* Naturalis, *quæque, ut ab alia mox indicanda distinguatur, potius dicitur* Philosophia; *alia* Supernaturalis, *& hæc veluti antonomastice dicitur* Theologia. *Quæ quidem triplex distinguitur, nimirum* Beata, *quæ immediate nititur supernaturali lumini gloriæ, & est quæ reperitur in Comprehensoribus*: Infusa, *quæ immediate nititur supernaturali lumini infuso, cognitionibus scilicet a Deo viatori communicatis absque illius labore & industria, ut sunt illæ, quibus illuminati fuerunt Apostoli, cum in eos illapsus est Spiritus S.*: *&* Acquisita, *quæ per industriam ex revelatione deducitur. Et hæc, quæ harum Institutionum propria est, definiri solet* Dei, Divinarumque rerum ex iis, quæ revelata sunt, sacra doctrina. *Hæc rursus acquisita Theologia varias subit divisiones; nam primo dividitur in* Scholasticam, *&* Positivam. *Prior est, quæ de rebus tra-*

ctat juxta methodum Scholæ, ideſt ſtrictim per aptas definitiones, diviſiones, argumentationes ad Dialecticæ leges accommodatas: altera eſt, quæ aut unice, aut potiſſimum nititur principiis jam poſitis, & conſtitutis, ut ſunt Scripturæ, Decreta Conciliorum, dicta Patrum &c. idque non ſervata Scholæ methodo, *ſed veluti oratorio modo, ut paſſim fit a Sanctis Patribus. Dixi* non ſervata methodo Scholæ &c.; *per hoc enim præciſe diſtinguitur Poſitiva a Scholaſtica Theologia, quæ & ipſa principiis jam poſitis & conſtitutis poteſt uti, & ſubinde utitur. Dividitur rurſus Acquiſita Theologia in* Speculativam & Practicam: *prior ſiſtit in mera objecti ſui contemplatione, altera ordinatur ad praxim. Speculativa, ſi verſetur circa res ad ſubſtantiam Fidei pertinentes, dicitur* Dogmatica, *& pro ea parte, qua hæc Fidei dogmata tuetur adverſus Religionis hoſtes, illorumque errores perſtringit, dicitur* Polemica, *ſeu* Bellatrix: *ſi vero verſetur circa res ad ſubſtantiam Fidei non pertinentes, quæ ſcilicet ſalva Fide poſſunt & propugnari, & impugnari, dicitur* Adiaphora, *& etiam aliquando veluti antonomaſtice* Scholaſtica. *Practica vero, ſi verſetur circa mores informandos, dicitur* Moralis: *ſi circa affectus in Deum dirigendos, dicitur* Myſtica. *Ex his omnibus Theologiæ ſpeciebus Supernaturalis, Acquiſita, Scholaſtica, Speculativa præ-*

præcipue, & Dogmatica harum Institutionum propria est. Hujus ergo, quam exponendam aggredior, Facultatis objectum materiale est Deus, & quidquid ad Deum dependenter a revelatinoe referri potest; cum hæc ab hujusmodi Facultate considerentur, & possint etiam ab aliis Facultatibus, seu habitibus considerari: Deus tamen est objectum primarium, cætera secundarium. Objectum vero formale est ratio, sub qua materiale in Theologia consideratur, scilicet ut est cognoscibile per ratiocinationem fundatam in divina revelatione. Theologia hæc non est idem cum Fide; nam Fides immediate & unice nititur divinæ revelationi, illa vero potest simul niti aliis motivis. Nec est rigorose Scientia, quia plerumque versatur circa obscura, adeoque caret evidentia, quæ cæteroquin ad Scientiam requiritur: quamvis possit dici Scientia eminenter, quatenus nititur motivo Scientia nobiliore, nempe divina revelatione. Scholasticæ Theologiæ, ut modo traditur, primo inter Græcos fundamenta posuit VIII. sæculo S. Joannes Damascenus, qui Christianam doctrinam ad certa capita reduxit. Ulterius progressus est inter Latinos XII. sæculo S. Anselmus Cantuariensis Episc.: ac tandem eodem sæculo paulo post ad exactam methodum omnia revocavit Petrus Lombardus quatuor libris, qui dicti sunt libri Sententiarum, sicuti ipse sententiarum Magister dictus est. Ad illius methodum

 omnes

omnes deinde plus minusve accesserunt. Harum autem Institutionum sequens erit ratio. Ex probatissimis Auctoribus utiliora decerpam, & quæ ad Candidatos Theologiæ recte informandos magis videbuntur opportuna. Speculativam sane doctrinam, ac ad dogmata Fidei pertinentem tradam, sed non ita ut prætermittam quæstiones illas, quæ ad Scientiam morum pro Tractatuum, qui occurrent, conditione pertinebunt, aut adiaphoras illas quæstiones, quæ ipsa Fidei dogmata possunt magis illustrare. Historicas & criticas quæstiones, quibus maxime delectatur Sæculum nostrum, si quæ erunt absolute necessariæ, attingam; quæ minus, omittam, cum in his, utpote quas facile quisquis ex se potest addiscere, Magistri labor plerumque frustraneus sit. Tractatuum, quibus tota harum Institutionum ratio continetur, hic erit ordo. Primo erit sermo de Locis Theologicis: *tractatulo scilicet proœmiali via sternetur toti Theologiæ, & in hoc indicabuntur loca, ex quibus potest Theologus desumere argumenta ad probandas conclusiones suas, horumque locorum natura, vis, & usus exponetur, & si quid aliud est, quod ad talia loca pertineat. Postea sermo erit de Deo in se considerato, sicque secundus Tractatus erit* de Deo quoad Naturam divinam consideratio: *tertius* de Deo ut est Trinus in Personis, *seu* de Trinitate. *Mox descendetur ad consideran-*

dum

dum Deum prout extra se operatur, sicque illum considerando ut Creatorem nobilissimæ illius considerabuntur Creaturæ Angelus, & Homo, adeoque quartus exhibebitur Tractatus de Angelis, *quintus* de Homine. *Agam postea de Deo ut Sanctificatore, quod præstabo sexto Tractatu, qui erit de* Divina Gratia. *Deinde Deum considerabo ut primam regulam honestatis, qua occasione agam septimo loco* de Actibus Humanis, *utpote in quibus debet hæc honestas relucere: octavo* de Legibus, *quæ sunt veluti normæ, quas sequendo actus humani honesti sunt. Et quoniam iidem actus, si honesti sint, ad virtutes pertinent, si inhonesti, ad peccata; ideo duo sequentes Tractatus erunt de Virtutibus, nonus de nobilioribus, idest* de Virtutibus Theologicis: *decimus* de Virtutibus Moralibus: *undecimus erit* de Peccatis. *Tandem Deum considerabo ut Reparatorem humani generis, quod præstabo duodecimo Tractatu, qui erit* de Incarnatione Divini Verbi, *cui subnectam decimumtertium, qui erit* de Sacramentis in genere, *& decimumquartum, qui erit* de Sacramentis in specie; *cum Sacramenta sint actiones morales Christi Domini, & veluti canales, per quos salutis aquas haurimus in gaudio de fontibus Salvatoris. Quatuordecim his Tractatibus absolutis erit finis; quæ enim pertinent ad Deum Glorificatorem, & Vindicem partim exhibebuntur in Tracta-*

tu de Deo, partim in Tractatu de Homine. Det mihi Deus sedium suarum assistricem Sapientiam, quæ mecum sit, & mecum laboret, ut opus hoc qualecumque futurum sit, & in ipsius gloriam cedat, & in aliorum utilitatem.

TRA-

TRACTATUS
DE LOCIS THEOLOGICIS.

AD novem revocari possunt Loca Theologica, cum ex novem præcipue capitibus possit Theologus argumentari. Hæc sunt: *Auctoritas Sacræ Scripturæ, Traditionum, Sanctorum Patrum, Ecclesiæ, Conciliorum, Romani Pontificis, & Theologorum; Naturalis ratio* (ad quam revocari potest *Auctoritas Philosophorum, & Legum Civilium*) & *Historia*. Hinc Tractatum hunc in septem Dissertationes divido. In prima agam de Sacra Scriptura: in secunda de Traditionibus: in tertia de Sanctis Patribus: in quarta de Ecclesia: in quinta de Conciliis: in sexta de Romano Pontifice: in septima de reliquis Locis Theologicis.

DISSERTATIO PRIMA.

De Sacra Scriptura.

DIssertationem hanc in quinque capita divido. In 1. exponam quid sit Sacra Scriptura, & quæ ejus divisiones: in 2. agam de illius editionibus: in 3. de illius auctoritate: in 4. de illius sensibus, & usu in theologica Facultate: in 5. de abusu illius facto a Novatoribus.

CAPUT PRIMUM.

Quid sit Sacra Scriptura, & quænam illius divisiones.

JUxta capitis titulum exponendum hic 1. quid sit Sacra Scriptura: 2. afferendæ sunt partes in quas dividitur.

ARTICULUS PRIMUS.

Nomine *Sacræ Scripturæ* veniunt hi libri: Pentateuchus Moysis continens 5. libros, Genesim, Exodum, Leviticum, Numeros, & Deuteronomium: Libri Josue, Judicum, Ruth, 4. Regum, 2. Paralipomenon, 2. Esdræ: Libri Tobiæ, Judith, Esther, & Job. Psalterium, Proverbia, Ecclesiastes, Cantica, Sapientia, Ecclesiasticus: 4. Prophetæ majores, videlicet Isaias, Jeremias cum Baruch, Ezechiel, & Daniel: 12. Minores, idest Osee, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Michæas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, & Malachias: 2. libri Machabæorum: 4. Evangelia secundum Matthæum, Marcum, Lucam, & Joannem: Acta Apostolorum: 14. Epistolæ D. Pauli, scilicet 1. ad Romanos, 2. ad Corinthos, 1. ad Galatas, 1. ad Ephesios, 1. ad Philippenses, 1. ad Colossenses, 2. ad Thessalonicenses, 2. ad Timotheum, 1. ad Titum, 1. ad Philemonem, & 1. ad Hebræos: 2. S. Petri: 3. S. Joannis: 1. S. Jacobi: 1. S. Judæ, & Apocalypsis S. Joannis.

Vocantur hi libri *Sacra Scriptura*, quia scripti sunt Deo dictante; *Sacra Biblia* (quod idem est, ac *libri*); tales enim veluti antonomastice dicuntur ob illorum præstantiam; *Testamentum Dei*, quia illius erga homines exhibent bonam voluntatem; *Lex Dei*, quia legem continent ab ipso tam Judæis antiquitus datam, quam recentius Christianis.

Enumerati libri omnes dicuntur *Canonici*, quia in Canone Ecclesiæ contenti. *Canon* autem & significat *Regulam*, unde Constitutiones Conciliorum, utpote regulæ Ecclesiæ, *Canones* dictæ sunt: & significat *Catalogum*, juxta quam significationem hic accipitur, unde enumerati libri dicuntur esse in Canone Ecclesiæ, idest in Ecclesiæ Catalogo.

ARTICULUS SECUNDUS.

Dividitur tota Scriptura in *Testamentum vetus*, *&* *novum*. Illud comprehendit omnes libros scriptos ante Christum, & sunt a Genesi usque ad secun-

secundum Machabæorum inclusive: hoc vero scriptos post Christum, & sunt reliqui omnes.

Dividuntur pariter libri Scripturæ in *Protocanonicos* & *Deuterocanonicos*. Primi sunt, de quorum auctoritate nunquam dubitavit Ecclesia: alii, de quorum auctoritate aliquando dubitavit, quamvis postea dubitatio sublata sit. Libri Tobiæ, Judith, Esther, Baruch, additamenta Danielis, a versu scilicet 24. usque ad 90. capitis tertii, & 2. posteriora ejusdem capita, libri Sapientiæ, Ecclesiastici, & 2. Machabæorum ex veteri Testamento: ex novo autem caput ultimum S. Marci, historia de apparitione Angeli ad confortandum Christum in horto orantem a S. Luca relata, historia mulieris adulteræ, quæ a S. Joanne narratur, itemque postremum ejusdem Evangelii caput, vel saltem postremi ejusdem capitis versus, Epistola S Pauli ad Hebræos, Epistola S. Jacobi, posterior S. Petri, particula illa prima Joannis: *Tres sunt qui testimonium dant in Cœlo &c.*, secunda & tertia ejusdem Joannis, Epistola S. Judæ, & Apocalypsis: hi omnes libri sunt Deuterocanonici, reliqui Protocanonici. Dixi *de Protocanonicis nunquam dubitasse Ecclesiam*; nam etsi de illis vel omnino vel ex parte aliqui Hæretici dubitaverint, & etiam eorum nullum ut divinum agnoverint Gentiles, hoc protocanonicitatem dictorum librorum non impedit.

CAPUT SECUNDUM.

De Editionibus Sacræ Scripturæ.

Loquar hic 1. de Textu primævo Sacræ Scripturæ: 2. de illius Versionibus.

ARTICULUS PRIMUS.

Textus primævus, sive *primigenius* est textus illo Idiomate exaratus, quo eum primo conscripsit Auctor, ad differentiam *Versionis*, quæ est textus translatus ab illo Idiomate, quo illum primo scripsit Auctor, in aliud.

Non omnes Sacræ Scripturæ libri eodem Idiomate scripti sunt. Libri veteris Testamenti juxta S. Hieronymum hebraice fuerunt scripti, exceptis libris Tobiæ, Judith, Danielis, & Esdræ, qui chaldaice, & secundo Machabæorum, qui græce fuerunt scripti. Libri autem novi Testamenti omnes græce scripti fuerunt, si Evangelium excipias S. Matthæi, quod hebraice exaratum fuit, vel potius syriace; Evangelium S. Marci, quod aliqui existimant primo latine scriptum, deinde in græcum versum ab ipso (cujus opinionis fundamentum est, quod Venetiis dicatur asservari autographum istius Evangelii latine scriptum) & Epistolam S. Pauli ad Hebræos, de qua pariter dubium est hebraice ne, an græce fuerit scripta.

ARTICULUS SECUNDUS.

Versiones divido in Græcas, Latinas, & aliorum Idiomatum.

Græcæ plures sunt. Inter has celeberrima est Versio Septuaginta Interpretum, de qua hæc juxta communiorem circumferuntur.

Ptolomæus Philadelphus Ægypti Rex tertius ab Alexandro Magno, annis ante Christum fere 300., insignem Bibliothecam construxit, cui præfecit Demetrium Phaleræum. Hic pretiosissimis voluminibus eam augere desiderans Regi suasit, ut legibus Hebræorum ornaret, quas ex hebraico in græcum Idioma transferri curaret. Annuit Rex, & ob id legatione ad summum illorum Sacerdotem cum muneribus missa, ab eo obtinuit ut 72. doctissimi Hebræorum, 6 videlicet ex singulis tribubus in Egyptum mitterentur, qui petitioni ipsius facerent satis. Ab his igitur in Insulam Pharos adductis opus 72. dierum spatio absolutum est, summisque laudibus ab omnibus Judæis exceptum, quod deinceps *Versio Septuaginta*, omissis duobus, brevitatis gratia, nuncupatum est.

Hæc antiquior est, &, ut dixi, communior de hac Versione sententia. Ceterum plures sunt & inter SS. Patres, & inter Criticos quæstiones circa tem-

tempus, modum, & materiam &c. ejusdem Versionis. Quidam illam antiquiorem putant, quidam posteriorem Philadelpho: sunt qui putant omnes 70. simul conferentes opus absolvisse; alii contendunt singulos totidem cellulis inclusos; alii binos in una cellula: aliqui solum Pentateuchum versum ab illis fuisse existimant: alii totum Testamentum vetus: nec desunt moderni Critici omnia, quæ de hac Versione narrantur, fabulosa existimantes, de quo aliorum esto judicium. Non est tamen prætereundum, hanc Versionem initio Ecclesiæ magnam habuisse auctoritatem, imo ea & Christum, & Apostolos, & antiquissimos Patres usos fuisse, & nunc etiam magno in pretio haberi, quamvis aliquas in rebus præsertim chronologicis maculas contraxerit, & in aliquibus a nostra Vulgata discrepet.

Secunda græca Versio est Aquilæ cujusdam, qui circa annum Christi 130. florebat. Hic primo fuit gentilis, deinde christianus, postomdum ob Astrologiæ judiciariæ studium ab Ecclesia pulsus, factus est judæus. Quapropter in odium christianæ Religionis quædam Scripturæ loca illa faventia de industria interpolavit.

Tertia est Theodotionis, qui scripsit circa annum Christi 184. Fuit hic primo hæreticus Marcionita, postea Ebionita, vel, ut alii volunt, Judæorum proselytus. Vertit in græcum vetus Testamentum majori fide, quam Aquila.

Quarta est Symmachi, qui floruit circa annum Christi 200., quique fuit gente Samaritanus, religione primo Judæus, postea Christianus, tandem hæreticus Ebionita; unde a S. Hieronymo aliquando Semichristianus, aliquando Ebionita appellatur.

Quintam Versionem græcam appellant Hiericuntinam, & sextam Nicopolitanam; quod prima in Civitate Hiericunte anno sexto imperii Caracallæ, altera in Civitate Nicopoli, imperante Alexandro Mammeæ filio, repertæ sint. Harum Auctores incerti. Ubi noto hucusque recensitas Versiones ad vetus Testamentum pertinere.

Ex his Versionibus, & hebraico Textu ea volumina composuit Origines, quæ ab ipso *Tetrapla*,

Hexapla, & *Octapla* sunt nuncupata. *Tetrapla* erant volumina, in quorum singulis paginis 4. extabant columnæ. In prima habebatur Versio Aquilæ, in secunda Symmachi, in tertia Versio 70., in quarta Versio Theodotionis. Hoc opus postea auxit, adjiciendo duas columnas, in quarum una Textum hebraicum posuit litteris hebraicis scriptum, in altera eumdem scriptum litteris græcis. Volumina hoc modo constructa appellavit *Hexapla*. *Octapla* tandem erant Volumina, in quibus 8. extabant columnæ, quarum 6. erant sicut in Hexaplis. 2. posteriores Versiones Hiericuntinam, & Nicopolitanam continebant. Opus hoc utilissimum, temporum injuria, nobis fere ex toto ereptum, feliciter restauravit Cl. Montefaucon Benedictinus Gallus.

Septima Versio græca dicitur Origeniana, quia laudatum Origenem habuit auctorem, seu melius emendatorem; hic enim advertens, Versionem 70. multis scatere erroribus, illam emendavit aliquibus expunctis, aliis additis vel ex Textu hebraico, vel ex aliis Versionibus.

Octava Versio græca est S. Luciani in persecutione Diocletiani martyrio coronati. Nona est Hesichii cujusdam in Egypto Monachi; qui tamen potius præcedentium Versionum emendatores, quam novarum conditores dici debent. Et hæc de Versionibus græcis.

Versiones Latinæ plurimæ fuerunt etiam primis Ecclesiæ temporibus. Inter illas autem una semper primatum obtinuit, quæ facta erat ex græco, quamque *Italam*, *Communem*, *Vulgatam*, & *Veterem* appellabant. Illius auctor ignoratur: quicumque is fuerit antiquissimus certe est, & Apostolis forte coævus.

Novas Scripturæ Versiones latinas adornavit S. Hieronymus ex græco primo, deinde ex hebraico. Ex græco vertit Psalterium, librum Job, Ecclesiasten, & Proverbia; reliquos probabiliter solum emendavit. Ex hebraico vertit fere totum Testamentum vetus. Novi Testamenti emendatio facta a S. Hieronymo fuit statim ab Ecclesia acceptata: non sic translatio veteris ex hebræo, quæ, cum primo in

lucem

lucem prodiit, a multis fuit improbata, sed postea sensim invaluit, adeo ut tempore S. Gregorii Magni Ecclesia Romana illa passim uteretur.

At Versio vulgata, qua nunc communiter Latini utuntur, est ne ipsissima versio S. Hieronymi? (Versionis nomine etiam emendationes supra recensitas comprehendo) Hic quæstio. Triplex hac de re est sententia. Alii nostram vulgatam ipsam esse volunt versionem S. Hieronymi: Alii id negant, putantes nostram vulgatam esse antiquam Versionem Italam: Alii media via incedunt, asseruntque illam esse ex antiqua Itala mixtam, & Versione S. Hieronymi. Hoc est probabilius. Nam ne totum opus Hieronymo adjudicemus, facit, quod, cum ipse testetur se fideliter in sua Versione hebraico adhæsisse, nostra vulgata aliquando relicto hebraico sequatur Versionem 70.: ne totum autem abjudicemus, facit, quod plerumque cum hebraico consentit, adeoque ex hebraico videatur magna ex parte deducta, quod a nullo alio ex antiquis præter S. Hieronymum præstitum fuisse, concedunt omnes: facit etiam, quod ita plerumque legamus in nostra Vulgata, ut S. Doctor corrigendam putat Versionem 70. Concludendum ergo, Vulgatam nostram ex Versione S. Hieronymi mixtam esse & alia; nulla autem certe melius quam antiqua Itala.

Versio hæc vulgata a Concilio Tridentino authentica est declarata his verbis (a): *Sacrosancta Synodus considerans, non parum utilitatis accedere posse Ecclesiæ Dei, si ex omnibus latinis editionibus, quæ circumferuntur, sacrorum Librorum, quænam pro authentica habenda sit innotescat; statuit, & declarat, ut hæc ipsa vetus, & vulgata editio, quæ longo tot sæculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus, & expositionibus pro authentica habeatur &c.* Cum autem hæc authentica est declarata, mens non fuit Concilii quidquam detrahere ex illa auctoritate, quam obtinet primitivus

(a) *Sess.* 4.

vus Textus hebraicus, & Versio græca, sed solum (ut patet ex verbis modo adductis) ut inter latinas Versiones hæc illa censenda sit, quæ magis cum Originali concordat, & in qua nullus error ad fidem, aut ad mores pertinens reperiatur. Et hæc quantum ad Versiones latinas dicta sunt satis, de aliis enim minus celebribus non est, cur hic verba faciam.

Præter jam recensitas græcas atque latinas Versiones, est etiam Chaldaica Paraphrasis a Judæis *Targum* appellata, quæ est Versio quædam paraphrastica veteris Testamenti ex hebraica in chaldaicam linguam opera trium Rabbinorum Onchelosi, Jonathanis, & Josephi Cæci facta. Hanc Versionem, magno in pretio habitam ab Hebræis, parvi facit Ecclesia ob multas, quæ in ea reperiuntur, fabulas & nugas. Est etiam Versio Syriaca ab aliquibus S. Marco Evangelistæ tributa, sed silentium antiquorum Patrum, qui Versiones Scripturæ recensentes hujus non meminerunt, satis ostendit illam S. Marco posteriorem. Aliæ etiam sunt Versiones aliorum Idiomatum, ut Arabica, Persica, Coptica, Hispana &c. imo nullum forte est Idioma, quod suam non habeat Versionem. Has autem, utpote non magni apud nos usus, indicasse sufficiat.

CAPUT TERTIUM.

De Auctoritate Sacræ Scripturæ.

Duplex in Sacris Libris potest auctoritas spectari, humana, & divina. Prima pendet ex quo hi libri recta ac vera contineant; hoc enim posito æstimabilitatem, & pretium, uno verbo auctoritatem apud prudentes merentur. Cum autem hæc auctoritas ab inspiratione divina præscindat, potest enim competere cuicumque alteri libro recta & vera continenti etsi non divinitus inspirato, dicitur auctoritas humana. Divina vero auctoritas ex eo pendet, quod libri sint scripti Deo inspirante.

De divina præcipue auctoritate Scripturæ hic est agendum. Sed quoniam humanam in ipsa agnosce-

re

re multum confert ad evincendam divinam, ut infra patebit; ideo 1. agam breviter de humana Scripturæ auctoritate: 2. uberius de divina: mox ostendam, libros illos, quorum vindicata est auctoritas, eosdem esse, quos nunc ut sacros nobis proponit Ecclesia, nec esse notabiliter vitiatos.

ARTICULUS PRIMUS.

Humanam Scripturis inesse auctoritatem constat, si tum ea spectentur, quæ pertinent ad historiam, tum quæ ad alia. Historiæ auctoritas pendet ex quo prudenter debeat Historico credi. Hoc autem in casu verificari apparet si consideretur primo quod plerumque Sacri Scriptores illorum, quæ scripserunt, fuerunt oculati testes: secundo quod ea scripserunt, quæ omnibus illorum temporibus erant nota, unde, si falsa fuissent, agniti ipsi & declarati fuissent impostores, quod tamen nunquam accidit: tertio quod quæ scripserunt fere semper cum historiis profanis conveniunt; quarto quod nullus inordinatus motus, puta aut lucri, aut ambitionis, illos induxerit ad scribendum, sed unus veritatis amor. Nam plerumque proprios defectus narrant, aut defectus propriæ gentis, ut contingit omnibus Scriptoribus veteris Testamenti: aut ea narrant, quorum narratio maxime erat Principibus, & Populis invisa, adeoque nonnisi odium & invidiam ipsis conciliabat, ut contigit præcipue Scriptoribus Testamenti novi. Ad quam etiam rem attendenda est simplicitas modi, quo scribunt, quæ sane ipsorum candorem & ingenuitatem satis ostendit.

In aliis vero historiam non spectantibus, Sacrorum Librorum auctoritas elucet, si spectetur doctrinæ, quam continent, profunditas, amor virtutis, quem ubique promovent, altissima, quæ de Deo enunciant, aliaque id genus pene infinita, quæ in ipsis occurrunt.

Quæ contra objici possent, commodius infra adducentur, & solventur.

ARTI-

ARTICULUS SECUNDUS.

Noto 1. peculiarem in probanda divina, adeoque infallibili hujus primi theologici loci auctoritate difficultatem occurrere ortam ex quo aliorum locorum theologicorum divina auctoritas non potest hic supponi ne circulus vitiosus admittatur, cum hæc debeat tandem in Scriptura fundari. Argumenta igitur talia sunt adhibenda, quæ hominem etiam nihil scientem de aliorum locorum divina auctoritate possint inducere, ut asserat hanc auctoritatem esse in Scriptura.

Noto 2. me hic contendere talia argumenta pro hac auctoritate afferre, quæ moralem præseferant certitudinem, ita ut hæc auctoritas non possit prudenter negari. Quomodo autem possit & debeat efformari actus Fidei divinæ de tali auctoritate, pertinet ad alium Tractatum examinare, nempe ubi de Fide.

Noto 3. divinam, atque adeo infallibilem Scripturarum auctoritatem pendere ex quo sint verbum Dei. Cum autem certum sit, Libros sacros non esse verbum Dei, quatenus fuerint immediate scripti a Deo; remanet ut eatenus sint, quatenus ab hominibus scripti sint Deo peculiariter illos inspirante ac dirigente. Inquirendum igitur utrum Libri Sacri sint a Deo sacris Scriptoribus inspirati.

Noto 4. inter negantes divinam inspirationem Sacrorum Librorum alios illam omnibus negare, ut sunt Gentiles: alios illam negare aliquibus tantum, ut sunt Hebræi novum Testamentum rejicientes, & aliqui Hæretici rejicientes modo unum, modo alterum librum, inter quos moderni rejiciunt ut plurimum Libros Deuterocanonicos. Ad hanc secundam classem revocari possunt moderni quidam Scriptores, ut Erasmus, Grotius, Episcopius &c. qui docent, Sacros Scriptores fuisse quidem inspiratos a Deo, cum narrarunt quæ non potuerunt addiscere nisi mediante revelatione, non sic vero cum ea narrarunt, quæ etiam independenter a revelatione potuerunt addiscere, ut cum narrarunt quæ viderunt, aut

aut audierunt, in quibus proinde volunt, ipsos a Deo fuisse permissos propriæ cognitioni & memoriæ: ex quo sequitur, in istis Sacros Scriptores fuisse fallibiles. Catholica veritas admittit tum omnium & singulorum librorum, tum etiam omnium & singulorum locorum inspirationem: aliqui tamen inter Catholicos volunt, Deum astitisse Sacris Scriptoribus quoad sensum tantum illorum, quæ scribebant, non quoad verba: contendunt scilicet, fuisse a Deo Sacros Scriptores directos ne aliquid quoad substantiam falsum, aut incongruum scriberent, cæterum illorum arbitrio permisisse uti his vel illis vocibus, hac vel illa phrasi. Ita Cano, Cornelius a Lapide, Bonfrerius, aliique magnæ notæ Theologi. Alii e contrario volunt, Dei assistentiam Scriptoribus Sacris versatam fuisse nedum circa sensum, sed etiam circa verba. Quid sentiam de his Catholicorum sententiis apparebit cum ventum erit ad solutionem objectionum contra statuendam assertionem afferendarum.

Noto 5. me hic supponere, quod naturali ratione probari possit existentia alicujus primæ Causæ, illiusque infallibilitas in loquendo: quod hæc Religione aliqua sit colenda: quod necessario sit admittenda Religio aliqua revelata, quodque vera Religio sit Christiana. Hæc omnia suis locis ex professo probabuntur. Sufficiat hic indicare, existentiam primæ Causæ supponi probatam in metaphysicis: illius infallibilitatem in loquendo involvi in conceptu hujus primæ Causæ, quam utpote summe perfectam sapientia & veracitate carere summopere dedeceret: cultum huic Causæ Religione præstandum, erui tum ex honestate elucente in hoc, quod ille colatur ab hominibus, a quo suum esse & conservationem habent, tum ex consensu omnium Nationum supremum Ens aliqua Religione colentium: necessitatem alicujus Religionis revelatæ erui tum ex insufficientia luminis naturalis ad docendum nos modum, quo Deus honorari vult, tum ex consensu omnium Nationum Religionem aliquam, quam revelatam dicunt, admittentium, tum tandem ex voluntate Dei nolentis, homines Religione naturali contentos esse,

& ad-

& addentis revelationem tanquam necessariam, ut patebit ex omnibus motivis statim pro veritate Religionis Christianæ adducendis: veritatem tandem Christianæ Religionis erui ex illius sanctitate, ex mirabili modo ipsius propagationis, ex miraculis in illius confirmationem tum a Christo ejus Auctore, tum ab ejus Discipulis patratis, ex Martyribus, qui proprio sanguine illam testati sunt, ex doctissimis & sanctissimis Viris, qui illam professi sunt &c. His positis, sit.

Assertio prima. *Scriptura Sacra est in omnibus saltem quoad sensum a Deo inspirata, adeoque est divinæ infallibilis auctoritatis.* Assertio est de Fide.

Prob. I. Christiana Religio, quæ vera hic supponitur, proponit Sacram Scripturam ut a Deo in omnibus saltem quoad sensum inspiratam: Deum colit ut suggerentem saltem quoad sensum sacris Scriptoribus quæ scripserunt. Ergo &c. Antecedens constat experientia. Prob. consequentia. Si Scripturæ non essent modo jam dicto Deo inspiratæ, Christiana Religio hoc non proponeret credendum: Deum insuper non proponeret colendum ut illarum auctorem, alias esset Religio falsa, utpote & falsa docens, & inepta præcipiens. Ergo &c.

Prob. II. Hæc Religio a divina inspiratione, & auctoritate Scripturarum cognoscit ortum suum, suam propagationem, suam vim. Ergo &c. Consequentia patet; nam vera Religio non potest a fundamento falso ortum suum, suam propagationem, & vim recognoscere. Prob. ergo antecedens. Christus, quem hæc Religio Deum ac Magistrum primum agnoscit, veritates, quas Fide divina credendas proponebat, subinde divina inspiratione & auctoritate Scripturarum confirmabat. Hoc Evangelia legenti notum est. Idem fecerunt Apostoli, quod ex ipsorum actis, & epistolis patet: idem tandem ipsorum successores SS. Patres, qui Religionem hanc & defenderunt & confirmarunt. Ergo &c.

Prob. III. Si est necessaria Religio divinitus revelata, est etiam necessaria divina revelatio. Hæc autem debet esse publica; si enim esset privata, fanatismo

natismo & divisioni Religionis locus daretur, cum quilibet proprio marte posset revelationem sibi effingere. Publicis ergo monumentis debet esse consignata revelatio. At hæc monumenta quænam tandem sunt, nisi Scripturæ? Enimvero monumenta ista apud profitentes veram Religionem inquiri debent, qui cum ex suppositis Christiani sint, cumque isti unanimiter divinam revelationem in Scripturis contineri fateantur, rem ita esse credendum est, adeoque credendum divinam revelationem in Scripturis contineri. Ergo &c.

Quod si Scripturæ divinam revelationem continent, in omnibus certe illarum partibus continent, secus enim pene tota nutaret auctoritas Scripturarum; proclive enim esset cuique sibi fingere, hunc vel illum locum non esse revelatum, sicque paulatim ipsarum Scripturarum auctoritatem enervare, & consequenter veritatem illius Religionis, quæ hic vera supponitur.

Prob. IV. conclusio per partes, & primo quoad Testamentum vetus, saltem respectu illarum partium, quæ admittebantur a Judæis antiquis ut Canonicæ. Testamentum vetus agnoscebatur ut scriptum Deo inspirante a Religione Judaica, etiam cum erat vera Religio. Ergo &c. Antecedens ex historia constat. Imo etiam nunc Judæi divinæ auctoritatis veteris Testamenti sunt testes, adeo ut ad rem nostram hæc eleganter habeat Augustinus. (a) *Propterea adhuc Judæi sunt, ut libros nostros portent ad confusionem suam; quando enim volumus ostendere prophetatum Christum, proferimus Paganis istas litteras. Et ne forte dicant duri ad Fidem, quia nos illas Christiani composuimus, ut cum Evangelio, quod prædicamus, finxerimus Prophetas, per quos prædictum videtur quod prædicamus; hinc eos convincimus, quia omnes ipsæ literæ, quibus Christus prophetatus est, apud Judæos sunt, omnes ipsas litteras habent Judæi. Proferimus codices ab inimicis,*

(a) *In Psalm.* 56.

cis, ut confundamus alios inimicos. In quali ergo opprobrio sunt Judaei? Codicem portat Judaeus, unde credat Christianus. Librarii nostri facti sunt, quomodo solent servi post Dominos Codices ferre, ut illi portando deficiant, illi legendo proficiant.

Testamentum autem novum totum ab illis scriptum est, per quos instruere volebat Deus Ecclesiam, adeoque per quos veram Religionem fundabat, idest per Apostolos & Discipulos Christi. Illos ergo debebat Deus regere dum scribebant, alioquin non sufficienter ipsi Ecclesiæ providisset, & veritati Religionis, quam fundabat. Quod confirmari potest ex miraculis, quæ ab Apostolis divina certe virtute patrata sunt in confirmationem illius doctrinæ, quam verbo & scripto tradebant; hæc enim miracula ut Deum hujus doctrinæ testem faciunt, ita libris talem doctrinam continentibus divinam inspirationem vindicant, adeoque divinam & infallibilem auctoritatem.

Antequam autem objectiones contra statutam assertionem proponam, animadverto illas ad duo posse capita revocari: primo ad objectiones generales contra divinam auctoritatem Scripturæ: secundo ad objectiones particulares contra hunc vel illum Scripturæ locum, vel librum. Has posteriores hic non afferam; nam paucas afferre esset insufficiens, omnes autem tam longum & operosum, ut circa hoc solum caput vix tempus sufficeret omnibus hisce Institutionibus destinatum. Priores ergo tantum proponam & solvam.

Obj. ex ipsa Scriptura. I. Sacri Scriptores aliquando petunt veniam de erroribus admissis. Ita Auctor libri secundi Machabæorum. (a)

II. Aliquando dicunt se insipienter scribere. Ita Apostolus: (b) *Quod loquor non loquor secundum Deum, sed quasi in insipientia*. Et alibi: (c) *Factus sum insipiens, vos me coegistis*.

III. Aliquando se dubios ostendunt circa id, quod scri-

(a) *Cap. ultim.* (b) 2. *Cor.* 11. (c) 2. *Cor.* 12.

scribunt; nam Apostolus dicit se dubitasse, utrum sanum prædicaret Evangelium, quod ipsum scribebat in suis epistolis. En verba: (a) *Post annos quatuordecim ascendi Jerosolymam, & contuli cum illis* (idest aliis Apostolis). *Evangelium, quod prædico in gentibus, seorsum autem iis, qui videbantur aliquid esse, ne forte in vanum currerem, aut cucurrissem.*

IV. Aliquando fidem scriptis propriis conciliant non ex testimonio divino, sed ex testimonio aliorum hominum: ut S. Lucas (b) & S. Joannes. (c)

V. Aliquando expresse dicunt se non loqui nomine Dei: ita Apostolus postquam dixerat: (d) *iis, qui Matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus &c.* subdit: *nam cæteris ego dico non Dominus.*

VI. Aliquando dicunt ipsam Scripturam esse mortiferam. Ita Apostolus: (e) *Littera* (idest Scriptura) *occidit*. Hæc omnia cum divina Scripturarum inspiratione pugnant. Ergo &c.

Ad I. multiplex potest afferri responsio; primo enim fieri potuisset, ut Actor sacer loqueretur quidem cum assistentia Spiritus S., quæ tamen ipsi non innotesceret, quo casu ipse se fallibilem existimans jure petiisset veniam de erroribus. Ita Menochius. Rursus potuit sacer Auctor loqui cum assistentia Spiritus S. quoad sensum verborum, ut scilicet nihil diceret falsum, aut incongruum, sed non quoad ipsa verba materialiter spectata, pro quibus proinde potuit petere veniam. Scio hanc secundam responsionem durè ab aliquibus excipi afferentibus tum plura dicta Patrum contendentium, Sacram Scripturam nedum quoad res, sed etiam quoad verba, esse a Deo inspiratam, tum censuram latam ab Academiis Lovaniensi, & Duacensi Anno 1587. in hanc propositionem: *ut aliquid sit Scriptura Sacra, non est necessarium singula ejus verba inspirata esse a Spiritu S.*

(a) *Gal.* 2. (b) *Luc.* 1. (c) 1. *Jo.* 1.
(d) 1. *Corint.* 7. (e) 2. *Corinth.* 3.



ritu S. Sed pace istorum & doctissimarum Academiarum dico cum Cl. P. Nicolai, (a) talem responsionem satis probabilem videri tum ex diversitate styli, quæ a sacris Scriptoribus adhibetur, quæque indicat non esse verba immediate a Spiritu S. inspirata: tum ex quo ipsi sacri Scriptores se aliquando imperitos dicunt sermone; ut Apostolus asserens (b) *se imperitum sermone, sed non scientia*, quod nequiret asserere, si singula ejus verba fuissent a Deo inspirata. Patres autem, si attente examinentur, nihil aliud volunt, nisi quod Deus etiam præsto fuerit sacris Scriptoribus, ut verba adhiberent congrua ad explicandum quod ipse explicari volebat, quod non impedit, ne inter hæc verba ipsi eligerent quæ vellent.

Ad II. ℟. Apostolum primo loco id tantum velle, quod ipsius verba juxta apparentiam considerata non essent secundum Deum, cum continerent proprias laudes, quamvis talia essent juxta illius intentionem, qua hæc ordinabat ad bonum finem, ut scilicet venerationem conciliaret in bonum Fidelium proprio Apostolatui; quo eodem sensu alio loco se dicit insipientem. Ergo &c.

Ad III. Omissa prima responsione primæ objectioni tributa ex Menochio, quæ hic quoque sufficeret ad tollendam difficultatem, ℟. nunquam dubitasse sacros Scriptores de veritate illorum, quæ scribebant. Sane Apostolus per adducta verba non indicavit se dubium circa Evangelium, quod prædicabat; Capite enim antecedente dixerat: *Notum vobis facio, fratres, Evangelium, quod evangelizatum est a me, quia non est secundum hominem; neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem Jesu Christi.* Dicit ergo se cum aliis Apostolis contulisse Evangelium, quod prædicabat, ut de convenientia doctrinæ suæ cum doctrina aliorum tolleretur in populo omnis dubitatio, quæ fuisset impedimento fructui Evangelicæ Prædica-

(a) *Lect.* I. *Proœmial. in Script.* (b) 2. *Corint.* 11.

dicationis: & hoc indicatur per illa: *ne in vacuum currerem, aut cucurrissem*.

Ad IV. ℞. Prudentissime id factum esse, ut fides narratis conciliaretur ex motivis, quæ etiam apud Gentiles magnam vim habebant; & ipsi enim ea ut vera admittebant, quæ narrabant testes de visu: non admisissent autem ita facile, si adducta fuisset ratio assistentiæ Spiritus S. ipsis ignotæ.

Ad V. ℞. Nunquam sacros Scriptores negasse se loqui nomine Dei hoc sensu, quod negaverint se scribere a Deo inspiratos. Locus Apostoli multipliciter explicatur. Plures cum S. Augustino volunt, Apostolum asserentem *se, non Dominum dicere* tantum innuere, id, quod dicere aggrediebatur (ut scilicet conjux ad Fidem conversus non dimitteret conjugem non conversam, quod tunc fieri poterat, secus nunc) esse suum consilium, ad differentiam illius, quod supra dixerat (ut scilicet vir fidelis non dimittat conjugem fidelem) quod erat præceptum Dominicum. Alii apud Calmet (a) volunt, Apostolum asserentem *se, non Dominum dicere* tantum innuere, nihil expresse fuisse constitutum aut a Lege Mosaica, aut a Christo circa casum conjugis conversi ad veram Religionem, nolente converti altero conjuge, circa quem casum ipse Apostolus pro sapientia sibi a Deo indita dat regulam supradictam: cum tamen circa casum duorum conjugum amborum Fidelium habeamus supradictum præceptum Dominicum in Evangelio. Cornelius a Lapide (b) contendit illa verba *ego, dico non Dominus* referri ad innuptos, de quibus supra (c) locutus fuerat Apostolus (qui cum non habeant præceptum Dominicum nubendi, idcirco illos hortatur Apostolus, ut in virginitate permaneant) non autem ad id, quod sequitur: & hoc probat, quia post verba *ceteris ego dico, non Dominus* habetur interpunctio. Sumatur ex his expositionibus quæ magis arridet: omnes enim solvunt difficultatem.

Ad

(a) *In hunc locum.* (b) *In hunc locum.* (c) *Versic.* 8.

Ad VI. ℟. Nunquam asseri Scripturam esse per se mortiferam. Apostolus vel *per litteram* intelligit Legem veterem, quæ cum daret præcepta, & *per se* non daret auxilia ad ea implenda, quæ auxilia solum dabantur per Gratiam, dicitur *occidere*: vel intelligit *Scripturam*, quæ dicitur occidere, cum litteraliter intelliguntur, quæ intelligi debent mystice, aut attenduntur nuda verba, cum sensus debeat attendi. Hæc autem mala non ex usu, sed ex abusu Scripturæ proficiscuntur. Ergo &c.

Obj. ex absurdis, quæ ex assertione sequuntur.

Sequitur I. Deum sibimetipsi contradicere, cum multa habeantur in Scriptura, quæ invicem pugnant.

II. Credenda esse Fide divina aliqua omnino incredibilia, & similia fabulis Poetarum, ut quod serpens locutus sit, quod mulier in statuam salis sit conversa &c.

III. Deum esse subjectum inordinatis passionum motibus, cum ipse exhibeatur modo pœnitens, modo dolens, modo percitus ira &c.

IV. Deum inspirasse sacris Scriptoribus res quasdam indifferentes, nullam proinde afferentes utilitatem si sciantur, ut sunt omnia non ad Religionem, sed ad historiam pertinentia, vel etiam res quasdam futiles omnino & ineptas, ut E. G. quod canis Tobiæ cauda blandiretur, quod Petrus e carcere liberatus pluries pulsaverit domum, antequam illi aperiretur. Ergo &c.

℟. Ad I. Apparentes tantum esse in Scriptura contradictiones ex eo ortas, quod, cum mutati sint mores, usus, & modi loquendi; quæ olim erant clara, nunc obscura sunt facta. Tales apparentes contradictiones in omnibus antiquis Scriptoribus repeπriuntur, & eo magis quo antiquiores sunt, nec tamen ideo respuuntur; quare ergo ob illas respuetur Scriptura omnium librorum antiquissima?

Ad II. ℟. Nihil incredibile narrari in Scripturis, si illud consideretur relate ad potentiam Dei, vel ad fines occultos, quos ipse habet in gubernatione hominum. Sane quid vetat ne permiserit Deus, ut Diabolus serpente uteretur ad decipiendam Evam, qui ipsi permisit, ut tot aliis modis per Oracula deci-

deciperet Gentiles: & ne Deus, in pœnam inobedientiæ uxoris Lot, eam occiderit simul in statuam salis convertendo, quæ aliis esset monumento justitiæ Dei in inobedientes? Ergo &c.

Ad III. ℟. loca Scripturarum, in quibus Deo videntur tribui passionum motus, esse metaphorice accipienda, & ita ut denotetur similes in Deo esse sine imperfectione affectiones, quæ in hominibus sunt cum imperfectione. Et ita cum dicitur Deum pœnitere, denotatur solum propositum illud destruendi, de quo pœnitet: cum dicitur irasci, denotatur propositum exercendi justitiam in Impios &c.

Ad IV. ℟. nihil in Scripturis narrari indifferens aut inutile; licet enim aliquando ea narrentur, quæ immediate Religionem non videntur respicere, sed meram historiam, ea tamen ad Religionem saltem mediate referuntur, quatenus ex historiis plura colligantur, quæ sunt regula agendorum, præter exempla & virtutum commendatarum, & vitiorum vituperatorum, quæ historia narrat. Rursus, ut probaretur aliqua esse in Scriptura futilia & vana, probare oporteret ea ad nullum rectum finem posse dirigi ex intentione Dei. Atquis hoc probare valeat, etsi ipse fortasse non videat, hic finis qualis determinate sit? Ergo &c.

Quæ adductæ sunt probationes ad evincendam auctoritatem Scripturæ, vim maximam habent, ut evincant Libros Protocanonicos esse a Deo inspiratos, cum proponantur ut tales ab omnibus Christianis, licet non Catholicis, &, si loquamur de Libris veteris Testamenti, ut tales proponerentur ab Ecclesia Judaica, quæ olim erat, & quando erat vera Ecclesia. At circa Deuterocanonicos aliqua potest esse difficultas, cum nec pro illis universaliter possit afferri sensus antiquæ Ecclesiæ, nec omnium Christianorum; plures quippe sunt Christianorum sectæ, ut E. G. Lutherana, Calvinistica &c. quæ hos Libros rejiciunt. Pro his ergo libris sit.

Assertio secunda. *Sunt a Deo inspirati, adeoque divinæ & infallibilis auctoritatis Libri Deuterocanonici non minus, quam Protocanonici.* Assertio est de Fide.

Posset hæc assertio probari ostendendo inter tot Christianorum sectas unam esse veram, idest Catholicam, cæteras spurias; unde quod illa approbat a vera Christiana Religione est approbatum. Quoniam tamen prolixam nimis disputationem hoc exigeret, peculiarem aliam juvat afferre probationem. Ita ergo

Prob. Si existunt Libri divinitus inspirati, debet profecto reperiri Judex aliquis, qui illos ut tales agnoscere, ac Fidelibus proponere valeat; alias frustra fuisset talis inspiratio. Hic autem Judex quinam tandem erit, nisi vera Ecclesia, & generale Concilium illam repræsentans? (circa hunc Judicem videantur etiam quæ infra Capite 5. dicentur) Scilicet cum *contra ipsam Ecclesiam portæ inferi non possint prævalere*, (a). (probatiotiones desumo ex Libris Protocanonicis, quorum auctoritas supra probata est) cum sit *columna & firmamentum veritatis* (b), quod ipsa definit ut firmissimum est habendum. Ecclesia autem generalium Conciliorum ministerio eruditur suadente ipso Christo, qui ait (c): *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi: omnia ergo quæcumque dixerint vobis servate & facite*. Cum ergo Patres Concilia constituentes sint Ecclesiae Doctores, illos tenetur audire, cum sint Pastores, tenetur eos Ecclesia sequi: quod exemplo potest confirmari cujuscumque ordinatæ Reipublicæ, in qua firmum & ratum est, quod in generalibus ipsius Comitiis est decretum. Concilium autem generale fuit Tridentinum, ad quod omnes Christiani orbis Episcopi ab Ecclesiæ visibili capite R. Pontifice sunt convocati: & hoc advertens omnes libros supra cap. 1. recensitos inter Canonicos a plerisque Conciliis & Patribus antiquissimis, & præcipue ab Ecclesia Romana numerari, divino afflante Spiritu eos omnes Canonicos definivit. Igitur

(a) *Matt.* 16. (b) 1. *Timoth.* 3.
(c) *Matt.* 23.

tur vere Canonici sunt. Quæ de Ecclesia & Conciliorum auctoritate attigi, fusius suo loco explicabuntur ubi de Ecclesia, & Conciliis erit sermo.

Dixi *Libros omnes supra cap. I. recensitos inter Canonicos a plerisque Conciliis & Patribus antiquissimis & præcipue ab Ecclesia Romana numerari*. Sane, ut alios omittam, hos omnes Libros ut Canonicos recepit Synodus Carthaginensis III. (a) Innocentius I. (b) & S. Augustinus, (c) quorum omnium indices intra 5. Ecclesiæ sæculum sunt exarati. Ergo &c.

Notandum hic superest, Sacræ Scripturæ Libros divina auctoritate pollere quoad omnes etiam illorum partes in Vulgata nostra contentas. Nam cum divina auctoritas a Tridentino illis Libris asserta est, illis profecto est asserta, ut tempore Concilii circumferebantur, & ut continebantur in Vulgata, quæ ab ipso authentica est declarata, adeoque &c. Quod dixi, ut nedum divinæ auctoritatis extimentur integri Libri, sed etiam partes illæ Librorum, quas aliquando in dubium revocatas fuisse supra notavi.

ARTICULUS TERTIUS.

Parum prodesset divinam inspirationem in sacris Libris agnoscere, nisi etiam certi essemus Libros, quos nobis ut Sacram Scripturam proponit Ecclesia, eosdem esse, quos probatum est, fuisse inspiratos. Quid enim ad me certo scientem E. G. Evangelium fuisse Deo inspirante scriptum a S. Joanne, si postea dubitem utrum Evangelium, quod a S. Joanne scriptum est, sit illud ipsum, quod modo sub S. Joannis nomine circumfertur, an vero aliud fictitium, aut adulteratum illi sit suppositum? Restat igitur probare modo sacros

(a) *Can. 47.* (*b*) *Epist. ad Exuperium.*
(c) *lib. 2. de Doctrin. Christ. Cap. 8.*

erant apud Hebræos, passim auditores & discipulos remittebant. Adde tandem quod, cum exactissima Scripturarum exemplaria semper fuerint tum in publicis Judæorum Synagogis, tum in privatis domibus, non potuissent Principes populi illas vitiare, nam sic fraudem privati detexissent; nec id ullus potuisset privatus, nam sic fraudem detexissent Principes, sicque nullo modo potuissent vitiari: nisi dicere velimus omnes, & Principes, & privatos simul conspirasse in illis vitiandis, quod & considerata tanta hominum multitudine, & considerata veneratione maxima, quam erga sacros Libros habebant, est moraliter impossibile.

Nec potuissent vitiari tempore Christi; nam præterquamquod id Christus & Apostoli non permisissent, qui Sacras Scripturas maxime venerabantur; si id tentassent Christiani, statim fraus ab infensissimis illorum hostibus Judæis fuisset manifestata, quod contra istos illi fecissent, si id tentassent Judæi.

Nec potuerunt tandem vitiari post Christum; nam quoad Testamentum vetus id prohibebat veneratio Judæorum erga illud: quoad vetus autem simul & novum prohibebat veneratio summa, quam erga illa semper Christiani habuerunt. Præterquamquod vel illa vitiassent Infideles, & sic vitium Fideles detexissent, vel vitiassent Fideles, & cum hoc relate ad omnes esset impossibile, remanebat ut factum fuisset ab aliquibus tantum, quo casu & alii reclamassent, & reclamassent Infideles, & præcipue Hæretici, qui semper in Ecclesia fuerunt, quique occasionem non prætermisissent Fideles traducendi ut falsarios & impostores.

Dixi Libros Sacræ Scripturæ *non esse adulteratos, aut vitiatos saltem notabiliter*; aliqua enim leviora menda in ipsos irrepsisse fatentur omnes.

CAPUT QUARTUM.

De sensibus Sacræ Scripturæ, & de illius usu in Theologia.

EXponam hic 1. quinam sint sensus Sacræ Scripturæ, 2. quinam illius sit usus in theologica Facultate.

ARTICULUS PRIMUS.

Sensus Scripturæ est ipsius Scripturæ significatio. Sed cum aliquando aliud per verba significetur, aliud per res verbis significatas; hinc Scripturæ sensus multiplex est, *litteralis* scilicet, sive *historicus*; *mysticus*, seu *spiritualis*. Primus est qui primario & immediate per verba importatur: *mysticus* qui mediate tantum importatur per verba, immediate autem per res verbis significatas. *Abraham*, inquit Apostolus, (a) *duos filios habuit, unum de ancilla, & unum de libera*. Horum verborum sensus litteralis est, duos ex Abrahamo carnaliter fuisse genitos filios, Isaac scilicet ex Sara, & Ismaelem ex Agar; hoc enim per illa verba immediate significatur. At per hos duos filios, aliquid aliud ex eodem Apostolo denotatur; denotantur scilicet duo Testamenta vetus & novum. En quæ significantur immediate per res verbis significatas, mediate autem per ipsa verba. En igitur sensus mysticus. Ille dicitur primario intentus a Spiritu S., hic vero secundario.

Sensus autem litteralis aliquando est *simplex* & *proprius*, aliquando *figuratus* & *metaphoricus*. Prior habetur, cum verba sumuntur in propria & naturali significatione: alter quando verba a propria & naturali significatione ad alienam transferuntur. Sic cum in Scriptura dicitur Deum esse omni-

(a) *Gal.* 4.

omnipotentem, id sumitur juxta propriam & naturalem significationem verborum, adeoque in sensu litterali proprio. Cum autem dicitur Christum esse Ovem, Leonem, Petram angularem &c. id sumitur non juxta propriam & naturalem verborum significationem, sed ab ista ad alienam transfertur. Sumitur ergo in sensu litterali figurato, seu metaphorico. Ad hunc reducitur sensus *parabolicus*, qui scilicet in parabolis reperitur; non enim sensus primarius parabolæ, est sensus materialis verborum, sed primario respicitur ad id, quod per res verbis expressas significatur.

In omni Scripturæ textu litteralis sensus reperitur; nam aliquid semper per Scripturæ verba sive proprie, sive improprie immediate denotatur. Quinimo in uno eodemque Scripturæ textu plures interdum sunt sensus litterales. Ita illud: (a) *Generationem ejus quis enarrabit*? de æterna Christi generatione quoad divinitatem, & de temporali quoad humanitatem litteraliter a SS. Patribus subinde intelligitur. Nec ex hac litteralium sensuum pluralitate in aliquo textu infertur illum esse ambiguum, & occasionem præbere errandi; tunc enim solum talis esset, quando ex pluribus sensibus ignoraretur quinam illi esset tribuendus. In casu autem id non ignoratur, cum exploratum sit utrumque textui competere, & in utroque recte intelligi.

Sensus porro mysticus & ipse multiplex est, scilicet *Allegoricus*, *Anagogicus*, & *Tropologicus*. *Allegoricus* habetur, cum denotatur aliquid spectans ad Fidem: *Anagogicus* cum aliquid spectans ad spem: *Tropologicus* sive *moralis* cum aliquid spectans ad mores. Omnes dicti sensus his versiculis comprehenduntur.

Littera gesta docet, quid credas Allegoria,
Moralis quid agas, quid speres Anagogia.

(a) *Isai.* 53.

Eorumdem sensuum exemplum suppeditat locus supra adductus: *Abraham duos filios habuit:* ecce sensus, ut dixi, litteralis. Sequitur: *Hæc sunt duo Testamenta:* ecce allegoricus, cum aliquid proponatur pertinens ad Fidem; docemur scilicet per hos duos filios denotari duo Testamenta vetus & novum. Subditur: *Illa autem quæ sursum est Hierusalem libera est, quæ est mater nostra:* ecce sensus anagogicus, cum aliquid proponatur pertinens ad spem; asseritur enim nos esse Paradisi cives designatos. Tandem verba sequentia: *Quomodo tunc is, qui secundum carnem natus fuerat, persequebatur eum, qui secundum spiritum, ita & nunc:* continent sensum tropologicum; impietas enim narratur Judæorum ad vetus Testamentum pertinentium, qui Christianos pertinentes ad novum semper persecuti sunt. Ita etiam vox *Hierusalem* litteraliter significat Metropolim Judææ, allegorice Ecclesiam, tropologice animam, anagogice felicitatem æternam. (Ubi noto hujus novissimæ divisionis membra aliquando etiam de sensu litterali præsertim metaphorico posse prædicari).

Sed dices: sensus mysticus & maxime allegoricus, & ipse est metaphoricus, cum allegoria sit continuata metaphora. Quomodo ergo sensus metaphoricus ad litteralem sensum pertinet, allegoricus ad mysticum?

℟. Duplicem esse metaphoram, & consequenter allegoriam, unam vocum, alteram rerum. Prima est translatio vocis a propria ad alienam significationem; secunda est cum res verbis significatæ aliquid aliud significant. Prior pertinet ad sensum litteralem, secunda ad mysticum. Cum ergo aliquem Scripturæ textum audis, tunc considera, quid primario per illius verba juxta mentem Spiritus S., ecuendam ex regulis infra indicandis, importetur, & si per illa primario importetur illud ipsum, quod juxta grammaticalem significationem venit, tunc habent sensum litteralem proprium: si vero per verba illud ipsum primo non importetur, sed aliquid ~~aliud, tunc habebunt sensum~~ litteralem metaphoricum. Inventa autem re, quæ immediate per verba

ba significatur sive proprie postea, sive improprie, tunc si res illa ad aliquid aliud significandum usurpetur, ecce jam sensus mysticus, qui, si ad Fidem spectet, dicitur allegoricus. Sensus ergo litteralis metaphoricus, quamvis, si continuatus, sit & ipse possit dici allegoricus, modus tamen loquendi invaluit, (a quo non est nisi ex gravi causa recedendum) ut simpliciter metaphoricus dicatur, sensus allegorici nomine sensui mystico ad Fidem pertinenti reservato.

Non omnis locus Scripturæ continet sensum mysticum; non enim semper per res verbis significatas aliquid aliud denotatur Ita E. G. quemnam sensum præter litteralem in hic invenies: *Diliges Dominum Deum tuum &c.*? In plerisque tamen hic sensus reperitur, licet frequentius in veteri, quam in novo Testamento; nam *omnia*, inquit S. Augustinus, (a) *quæ illis continentur Libris* (veteris Testamenti) *vel de ipso* (Christo) *dicta sunt*, *vel propter ipsum*, adeoque cum Testamentum vetus esset umbra novi, necessario a rebus ad vetus pertinentibus debebant quæ pertinent ad novum significari. In hoc pariter aliqua esse, quæ sensum mysticum involvunt, in confesso est apud omnes.

Aliquando sensus mysticus principalius litterali est intentus a Spiritu S.; aliquando enim hic [redacted] mysticu ordinat ad res Fidei & morum, quæ certe principalius illo, quod per sensum litteralem importatur, intentæ sunt. Hoc ostendit Apostolus, qui postquam (b) exposuit tropologice illud: *Non alligabis os bovi trituranti*, ad ostendendum sensum litteralem hujus loci minus principaliter mystico esse intentum a Deo, addit: *Nunquid de bobus cura est Deo*?

Qui sit singulorum locorum Scripturæ sensus litteralis, qui mysticus, quandonam in sensu litterali proprio, quando in metaphorico sint intelli-

B 5 gen-

(a) *lib.* 12. *contra Faust. Cap.* 7. (b) 1. *Cor.* 9.

genda, id (præsertim in obscuris) eruendum est tum ex circumstantiis personæ scribentis, temporis, locis, finis scriptionis, tum ex collatione textuum inter sese, tum ex interpretatione Patrum de talibus locis. Nunquam proinde ita est intelligenda Scriptura, ut aliquid contineat contra Fidem, aut bonos mores: semper etiam ex Augustino intelligenda est juxta litteralem sensum proprium, nisi aliquid obstet. Sed, quod præcipuum est in hac re, attendendus est sensus Ecclesiæ circa loca Scripturæ, de quo plura dabuntur in sequentibus. Has regulas qui servaverit verum Scripturæ sensum assequetur.

Sensibus Scripturæ jam indicatis addi solet sensus accomodatitius, cum scilicet verba Scripturæ aliquid non significantia ex mente sacri Scriptoris usurpantur ad illud significandum juxta arbitrium usurpantis ob aliquam similitudinem, quæ inter illud intercedit, & aliud a sacro Scriptore significatum. Hujus exempla apud SS. Patres, & sacros Concionatores sunt frequentissima: imo Ecclesia ipsa hoc sensu aliquando utitur. Sic dictum illud de Noe: (a) *Inventus est justus, & in tempore iracundiæ factus est reconciliatio*, illudque de Abraham ibidem: *Non est inventus similis illi*, quamvis ad alios ex intento sacri Scriptoris, præter duos memoratos Patriarchas, non referantur; ab Ecclesia tamen Confessoribus Pontificibus accomodantur ob similitudinem, quæ in illis cum recensitis Patriarchis inest.

ARTICULUS SECUNDUS.

Sacram Scripturam esse locum theologicum, & quidem præcipuum docent omnes Catholici, nec ut plurimum dissentiunt Hæretici. Hoc autem probatum manet ex iis, quæ supra sunt dicta circa divinam

---

(a) *Eccl.* 44.

nam Scripturæ auctoritatem, ex quibus etiam patet esse Fide divina credenda, quæ in illa continentur.

Non autem ab omnibus Scripturæ sensibus æqualiter licet argumentari; nam a litterali proprio, si adsit, firmum semper eruitur argumentum, cum hic semper intentus sit a Spiritu S.; a mystico autem vel metaphorico tunc solum firmum deducitur argumentum, cum exploratum est quinam determinate ille sit: secus si secus; licet enim & supradicti sensus a Spiritu S. intenti sint, cum tamen ignoratur quinam tali, vel tali loco præcise conveniat, ignoratur consequenter quinam sit sensus intentus a Spiritu S.. Ergo &c. Tandem ex accomodatio nunquam firmum argumentum erui poterit, nisi ab Ecclesia adhibeatur (quo casu non tam ex Scriptura dicetur sumi argumentum, quam ex ipsa Ecclesiæ auctoritate); accomodatius enim sensus non est a Spiritu S., sed ab homine, qui quantumcumque doctus semper tamen fallibilis est.

CAPUT QUINTUM.

De abusu Scripturæ facto a Novatoribus.

SUnt ex Novatoribus, qui nimis Scripturæ deferentes docent eam esse solam regulam Fidei, adeo ut omnes Fidei quæstiones possint ex sola Scriptura definiri; sed quoniam non posset Scriptura esse talis regula si esset obscura, adeoque alia regula opus esset ad illius intelligentiam, ideo docent illam esse per se omnibus claram. Quoniam autem evidens est aliquando Scripturam esse obscuram, ideo ad salvandam prætensam claritatem docent ipsam Scripturam, quantum est ex se, esse claram; nam si aliquid obscurum apparet, illud Infidelibus solum & superbis apparet, non Fidelibus & humilibus, respectu quorum, si aliquid implexum reperitur in uno loco, hoc alio loco explicatur, & obscuritas est non in rebus, sed in dictionibus, cui potest occurri per peritiam Idiomatum hebraici præcipue, & græci. Quod si aliquando Interprete opus sit, docent unumquemque privato, ut inquiunt,

 spi-

spiritu, seu prout quisquis se inspiratum existimat, illam interpretari posse.

Ut igitur in confutandis hisce erroribus recta methodo procedatur, videndum 1. an Scriptura gaudeat prætensa claritate: 2. an in obscuris sit intelligenda juxta privatum spiritum: 3. an ipsa sola sufficiat pro regula Fidei. Sit itaque

ARTICULUS PRIMUS.

Assertio. *Sacra Scriptura in se spectata, & respective ad communem hominum intelligendi morem in plerisque est obscura.*

Prob. ex ipsa Scriptura. Nam David sane erat humilis & fidelis, & idiomata, quibus erat illius tempore exarata Scriptura, callebat, & tamen Deum rogabat, ut illi aperiret sensum Scripturæ, quod indicat ipsam per se esse obscuram. Dicebat ipse: (a) *Revela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua:* &: *da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam*. II. Hanc obscuritatem agnovit in epistolis S. Pauli S. Petrus, qui de iis loquens ait; (b) *In quibus sunt quædam difficilia intellectu.*

Prob. ratione. Vel considerentur res, quæ in Scripturis tractantur, vel modus quo tractantur, non potest Scriptura non esse in aliquibus obscura. Res enim aliquando sunt mysteria Fidei, quæ ut plurimum in se sunt obscura, aliquando sunt Prophetiæ futurorum eventuum, quæ cum multas connotent circumstantias hic & nunc non manifestas, sæpe sunt obscurissimæ. Est pariter plerumque obscurus modus, quo res tractantur; nam sæpe adhibentur tropi, schemata, hyperbolæ, metaphoræ, parabolæ: aliquando idem vocabulum in eadem propositione usurpatur primo proprie, postea figurate, vel vice versa: aliquando res enunciatur sub typo alterius, quæ tamen est typus secundum unum respectum, secundum alium a priore omnino

(a) *Psalm.* 118. (b) 2. *Pet.* 3.

no discrepat: aliquando non servatur in narrationibus ordo gestorum: aliquando adhibeatur phrases a præsenti consuetudine remotæ. Ergo &c.

Prob. tandem experientia. Nam infinita propemodum occurrunt in Scripturis loca, de quorum intelligentia litigant inter se Patres & Doctores, quod indicium est manifestissimum obscuritatis.

Obj. ex Scriptura I. Hæc sibi claritatem vindicat juxta illud: (a) *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, nec in Cælo situm, neque trans mare:* & illud: (b) *Lucerna pedibus meis verbum tuum:* &: *declaratio sermonum tuorum illuminat:* & illud (c) *Habemus firmiorem propheticum, sermonem, cui bene facitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco.*

II. Saltem, si aliqua est in Scripturis obscuritas, hæc est tantum respectu Infidelium & peccatorum juxta illud; (d) *Quod si opertum est Evangelium, in iis, qui pereunt, est opertum, in quibus Deus hujus sæculi excæcavit mentem Infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii gloriæ Christi.* Ergo &c.

Ad I. ℟. nullibi Scripturam se asserere claram saltem in omnibus. Locus ex Deuteronomio intelligendus est non de Scriptura (fortasse enim, cum hæc dicta sunt, nulla extabat Scriptura), sed de solis præceptis Dominicis, quæ per adducta verba dicuntur intellectu, proportionaliter ad infra dicenda, & observatu facilia. Patet ex contextu, ubi de sola mandatorum observantia fit sermo. Locus ex Psalmis vel intelligitur solum de præceptis Domini, & hæc sunt quidem clara quoad sensum litteralem verbis immediate expressum, non vero semper quoad sensum implicitum aut mysticum, ut E. G. lex de non occidendo clara erat quoad sensum ver-

(a) *Deut.* 30. (b) *Psalm.* 118.
(c) 2. *Pet.* 1. (d) 2. *Cor.* 4.

verbis immediate expressum prohibentem externam occisionem, non sic vero quoad sensum implicitum prohibentem etiam internum actum iræ & vindictæ, quem sensum Christus declaravit inquiens: (a) *Audistis quia dictum est antiquis: non occides.... Ego autem dico vobis, quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit judicio:* & lex de occidendo & comedendo agno Paschali erat clara quoad sensum litteralem, non sit vero quoad mysticum Christo adaptatum. Vel intelliguntur de tota Scriptura, & hæc est est quidem lumen & lucerna, sed tunc solum cum intelligitur, ut lumen corporeum tunc solum illuminat, cum se prodit illius splendor, ut cum est super candelabrum; si enim sit sub modio, non illuminat. Posse autem facile intelligi Scripturam remanet adversariis probandum. Ex hoc patet quomodo explicandum sit dictum S. Petri.

Ad II. ℟. Apostolum solum innuere, quod prædicatio Evangelica acceptata fuit a prædestinatis, & bene affectis erga veritatem, qui idcirco crediderunt Christum esse Deum, ac venisse ad homines redimendos, cum contra acciderit reprobis & male erga veritatem affectis. His ergo dicitur Evangelium opertum, quia ob excæcationem cordis non viderunt veritatem Evangelicæ prædicationis, secus aliis. Ergo &c.

Obj. ex Patribus I. Chrysostomus, (b) postquam dixerat Philosophos obscure locutus fuisse, subdit: *Apostoli vero & Prophetæ omnia contra fecerunt: manifesta claraque, quæ prodiderunt, exposuerunt omnibus.... veluti communes orbis Doctores, ut per se quisque discere possit ea, quæ dicuntur, e sola lectione.* Et alibi: (c) *Quamobrem opus est Concionatore? Omnia clara sunt & plana ex Scripturis divinis.*

II.

(a) *Matt.* 5. (b) *Homil.* 3. *de Lazaro.*
(c) *Homil.* 3. *in* 2. *ad Thessalon.*

II. S. Augustinus ait; (a) *Magnifice & salubriter Spiritus S. ita Scripturas Sanctas modificavit, ut locis apertioribus fami occurreret, obscurioribus autem fastidia detergeret; nihil enim fere de illis obscurioribus eruitur, quod non planissime dictum alibi reperiatur*. Ergo &c.

Ad I. ℞. Chrysostomum primo loco oratorio modo exagerare claritatem Scripturæ, ut ad ejus lectionem auditores excitet. Cæterum illum non esse nobis contrarium, patet ex contextu verborum adductorum; nam antecedenter ad citata verba ait: (b) *Quid igitur, inquiunt, si non intelligamus ea, quæ continentur in libris? Maxime quidem: etiamsi non intelligas illic recondita, tamen ex ipsa lectione multa nascitur sanctimonia*. Et infra: *sume librum in manus, lege historiam omnem, & quæ nota sunt memoria tenens, ea, quæ obscura sunt parumque manifesta, frequenter percurre. Quod si non poteris assiduitate lectionis invenire quod dicitur, accede ad sapientiorem, vade ad Doctorem*. Alio loco solum vult Chrysostomus clare in Scriptura contineri necessaria tum ad Fidem, tum ad mores; immediate enim subdit: *Quæcumque necessaria sunt, manifesta sunt;* & pro istis asserit non esse necessarium concionatorem, quod verissimum est. Sed infra docet etiam obscura in Scripturis contineri; respondens enim iis, qui obscuritatem Scripturarum adducebant in causam, ob quam illarum studio non vacarent, non negavit talem obscuritatem, sed solum asseruit alia multa in ipsis esse clara: *Nosti*, inquit, *quæ clara sunt & dilucida, ut de iis, quæ sunt obscura, percunteris*. Cæterum S. Doctor alibi hanc obscuritatem apertius insinuat inquiens: (c) *Neque dixit* (Christus) *legite Scripturas, sed scrutamini Scripturas, quia ea, quæ de ipso ibi dicuntur, multa opus habent*

(a) *lib. 2. de Doctr. Christ. Cap. 6.* (b) *ibidem ut infra.* (c) *Homil. 41. al. 40. in Jo.*

bent investigatione; sub umbra enim quadam occulta veteribus erant. Ideo illos accurate fodere jubet, ut in profundo posita reperire possint. Neque enim in superficie, vel in conspectu jacent, sed quasi thesaurus quispiam profunde admodum recondita sunt.

Ad II. ℟. primo S. Augustinum probabiliter per illud *planissime dictum* non intelligere nisi dictum absque similitudinibus, & metaphoris, quas antea dixerat sæpe in Scripturis adhiberi. Quod autem aliquid dicatur absque similitudinibus & metaphoris non est idem, ac quod dicatur clare. ℟. secundo S. Augustinum adhibere particulam *fere* denotantem, non omnia absolute in Scripturis esse clara. Rursus etsi dicat quod uno loco enunciatur obscure, alibi clare exprimi, difficillimum tamen est locum hunc clarum invenire; alioquin quomodo potuisset ipse Augustinus, qui tantopere Scripturis studebat, asserere: (a) *In ipsis sanctis Scripturis multo nesciam plura quam sciam?* Et sane adducto loco de doctrina christiana jam dixerat Scripturas esse obscuras, subdens: *Quod totum provisum divinitus esse non dubito ad edomandam labore superbiam, & intellectum a fastidio revocandum, cui facile investigata plerumque vilescunt.* Et alibi (b) de obscuritate Scripturæ hæc habet: *Tanta non solum in verbis, quibus ista dicta sunt, verum etiam in rebus, quæ intelligendæ sunt, latet altitudo sapientiæ, ut annosissimis, acutissimis, flagrantissimisque cupiditate discendi hoc contingat, quod eadem Scriptura quodam loco habet: cum consumaverit homo tunc incipiet.*

Obj. ex ratione I. Magis est nota Scriptura, quam sint res omnes propositæ ut credantur: nam istæ subinde probantur per Scripturas: semper autem quod probatur debet esse minus notum eo, quod probat. Ergo Scriptura est clara.

II.

(a) *Ep.* 155. *ol* 119. (b) *Ep.* 137. *alias* 3.

II. Ecclesia primis sæculis non habebat Commentatores & Interpretes, & tamen intelligebat Scripturas. Ergo hæ per se sunt claræ.

Ad I. R/. duplicem cum Bellarmino distinguendo claritatem, unam verborum, alteram veritatis. Prima consistit in perspicuitate sententiæ; secunda in hoc, quod appareat veritas. Cum autem dicitur minus notum probari per magis notum, id intelligitur de claritate veritatis: debet scilicet in eo, quod probat, magis apparere veritas, quam in eo, quod probatur, licet eadem utrobique sit claritas verborum. Ita quoad verba est æqualiter notum quid sit hominem vivere, & quid sit illum moveri, & tamen quia veritas motus subinde magis apparet, quam veritas vitæ, hæc per illam probari potest. Imo aliquando quod est obscurius quoad verba, probat quod est clarius, si tamen magis quam hujus pateat veritas alterius, ut accidit cum Commentator Juris doctrinam aliquam clare explicat in aliqua obscura lege contentam, per quam postea legem doctrinam ipsam probat. In casu autem magis est aperta Scripturæ, quam aliorum credendorum veritas; ergo hæc per illam possunt probari, quin obstet ejusdem Scripturæ obscuritas quoad verba, de qua una hic disputatur.

Ad II. R/. adfuisse tunc ut Commentatores & Interpretes Scripturæ ipsos Apostolos, ex quorum doctrina & traditione primi Fideles easdem Scripturas etsi obscuras percipiebant.

ARTICULUS SECUNDUS.

Assertio. *Privatus spiritus per se non sufficit ad interpretandas Scripturas.*

Dixi *per se*, ut præscinderem a casu extraordinario & accidentali, quo certo constaret Deum alicui privato homini concessisse peritiam & interpretationem Scripturarum.

Prob. ergo ex Scripturis. Incertum est, utrum hic privatus spiritus, sit spiritus veritatis, an mendacii; nam Apostolus docet interpretationem sermonum, idest Scripturarum, non omnibus, sed tantum

tum aliquibus dari; postquam enim dixerat (a) *Divisiones gratiarum sunt, & divisiones ministrationum sunt*; subdit: *Alii datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ, alteri fides . . . . alii interpretatio sermonum &c.* aliunde autem incertum est quibusnam determinate detur. Ergo &c.

Prob. ratione, quæ potest esse confirmatio præcedentis probationis. I. Magis est incertum an spiritus meus privatus, quo interpretari contendo Scripturam, sit a Deo, quam utrum unus potius, quam alter sensus Scripturæ competat. Primum enim non possum cognoscere nisi ex me ipso: secundum vero cognoscere possum etiam ex aliis, puta ex auctoritate Ecclesiæ, Patrum, Theologorum &c. Ergo hic spiritus erit insufficiens ad interpretandam Scripturam. II. Spiritus privatus non semper est a Deo; quomòdo enim talis posset esse, cum E. G. duo textum aliquem Scripturæ duobus modis oppositis inter se interpretantur? Aliquando ergo est, aliquando non. At quomodo cognosci poterit cujusnam spiritus a Deo sit, cujus non? Si dicam illum esse, qui posuit debitas diligentias in quærendo, debitam humilitatem, orationem &c., remanet rursus quærendum quinam ex pluribus diverse judicantibus hæc omnia præstiterit, qui non: & cum quilibet illorum putet se hæc præstitisse, quomodo tandem veritas aperietur? Sit exemplum. Hæc Christi verba: *Hoc est Corpus meum*: interpretatur Lutherus proprie, Calvinus improprie, uterque juxta privatum spiritum suum, uterque dicit se Scripturæ studuisse, orasse &c. Quomodo ergo aut Lutherus Calvinum, aut Calvinus Lutherum de veritate convincet? III. Licet omnes habeant verum lumen naturale, quo leges politicæ conditæ sunt & exponendæ, non tamen permittitur legum interpretatio privato cujusque judicio; ergo a fortiori non est permittenda privato cujusque judicio interpretatio Scripturæ, eum non omnes habeant lumen supernaturale, quo

(a) 1. *Cor.* 12.

quo Scripturæ sunt exaratæ, & quod requiritur ad eas explicandas.

Obj. ex Scripturis I. Hæ dicunt in nova Lege futurum, ut unus homo non indigeat instrui ministerio alterius; inquiunt enim: (a) *Ponam universos filios tuos doctos a Domino*. Rursus: (b) *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam, & non docebit ultra vir proximum suum dicens: cognosce Dominum; omnes enim cognoscent me a minimo eorum usque ad maximum*. Et de facto dicit S. Joannes: (c) *Non necesse habetis ut aliquis doceat vos, sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus, & verum est, & non est mendacium*.

II. Dicunt hominem spiritualem & justum omnia cognoscere ex se; dicit enim Christus: (d) *Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit, an ego a meipso loquar*. Et Apostolus: (e) *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei, spiritualis autem judicat omnia, & ipse a nemine judicatur*. Eo ipso interpretatio Scripturæ privato cujusque spiritui permittitur. Ergo &c.

℟. Ex adductis locis non probari adversariorum intentum. Ad I. ergo dico loci ex Isaia congruam explicationem esse, vel quod populus Christianus erat edocendus non a Prophetis, sed ab ipso Deo juxta illud: (f) *Multifariam multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio*: vel quod hic populus nedum per extrinsecum verbi ministerium, sed & per internam Spiritus S. illustrationem erat edocendus. Alter locus congrue explicatur dicendo, Deum in Lege nova mandata sua scripturum non in tabulis lapideis, ut scripsit olim Legem veterem, sed in cordibus hominum, & tam multa tamque clara enuncianda de Deo, ut omnes per se ipsum es-

---

(a) *Isai.* 54. (b) *Jerem.* 31. (c) 1. *Jo.* 2.
(d) *Jo.* 7. (e) 1. *Cor.* 2. (f) *Heb.* 1.

essent cognituri: quod utique impletum est, cum modo omnes fere Nationes unum Deum adorent relicta idololatria, quæ tamen ante Christum nedum apud Gentiles, sed etiam apud ipsos Hebræos erat frequentissima. Locus sequens habet hunc sensum: vos jam a Deo accepistis unctionem per lumen Fidei in Baptismo infusum, & in Confirmatione roboratum, & per doctrinam quam ab Apostolis audistis, unde non est vobis necesse, ut a Pseudo-Apostolis & Prophetis (a quibus supra dixerat Apostolus Parthos debere cavere) edoceamini quæ sit vera Fides; hanc enim ex vobis cognoscetis. Sed hic, ut patet, non excluditur absoluta necessitas Doctoris. Adde quod Apostolus non ad singulos Fideles scribebat, sed ad Ecclesias, quæ etiam Episcopos & Doctores comprehendebant. Ergo &c.

Ad II. ℟. Sensum primi loci hunc tantum esse, quod deponenda essent vitia & peccata a Judæis, quos tunc Christus alloquebatur, ut cognoscerent ipsius missionem a Patre; maximum enim ad veritatem cognoscendam impedimentum est cordis malitia. Hoc autem non probat posse Scripturas omnes privato cujusque spiritu intelligi. Alter locus duplicem patitur interpretationem utramque ad intentum adversariorum pariter impertinentem. Prima est: animalis homo, idest, qui ductum tantum rationis naturalis sequitur, est ineptus ad judicanda spiritualia, et solum aptus ad judicanda carnalia, cum e contra spiritualis, idest sequens etiam ductum Fidei, sit aptus ad judicanda tam hæc, quam illa. Hic autem *a nemine judicatur*: idest animalis homo, utpote ineptus ad judicanda spiritualia, est etiam ineptus ad judicandos spirituales, unde hi a nullo carnali judicantur; cum ipsi e contrario utpote apti ad judicanda carnalia possint etiam carnales judicare. Vel etiam *a nemine judicatur* hoc sensu; quod spiritualis a nemine condemnatur, vel arguitur, si judicet juxta principia Fidei, quæ sunt infallibilia. Sed nihil ex hoc contra assertionem positam; nam licet hic spiritualis homo habeat in principiis supernaturalibus Fidei rectam normam ad judicandum, ista tamen

prin-

principia possunt esse & de facto sunt obscura, unde ille subinde indiget instrui & de iis, & de illorum usu. Altera est: animalis homo, idest credens quidem, sed rudis adhuc & mente imbecillus, est ineptus ad judicandum de rebus Fidei, e contra spiritualis, idest perfectus & instructus apostolicis documentis, est ad id aptus, qui tamen a nemine judicatur proportionali sensu ac supra expositum est. Et hæc quidem expositio maxime consonat verbis, quæ initio capitis leguntur: *Ego fratres non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi non escam*. At neque sic expositus textus facit contra assertionem, cum spiritualis homo non dicatur privato spiritu omnia cognovisse, potuerit autem indigere ministerio & explicationis Doctorum: imo hæc expositio assertioni favet; nam multi dicuntur credentes, qui tamen dicuntur inepti ad judicandum ex se de rebus Fidei. Ergo &c.

ARTICULUS TERTIUS.

Assertio. *Scriptura ex se sola non est sufficiens regula Fidei.*

Prob. Si sufficeret, vel sufficeret ut Judex, vel ut norma (*Judex* dicitur qui fert sententiam, *norma* secundum cujus directionem illam fert.) Neutrum dici potest. Ergo &c. Prob. minor. quoad primam partem. Judex debet talem sententiam proferre, quæ clare finiat controversias litigantium, ita ut unus clare intelligat sententiam Judicis stare pro se, alter illam stare contra se. Hoc (saltem semper) Scriptura non præstat, quod colligitur tum a priori ex ipsius obscuritate supra probata, tum a posteriori; nam illi ipsi, qui in Scriptura sufficientem Judicem agnoscunt ut Novatores, etiam postquam audierunt sententiam Scripturæ, adhuc inter sese de controversiis Fidei digladiantur. Ergo &c. Rursus plura ad Fidem pertinent, de quibus Scriptura non loquitur, ut perpetua virginitas Deiparæ, validitas Baptismi infantibus collati, canonici-

tas

tas Librorum, quos Scriptura complectitur &c. Pro istis autem, ut patet, non est Judex Scriptura. Ergo &c.

Prob. minor. quoad secundam partem. Ex dictis supra de pluribus ad Fidem pertinentibus Scriptura non loquitur; ergo in istis non potest esse norma Fidei, consequenter alia Fidei regula requirenda. In iis etiam, de quibus loquitur, quamvis possit esse norma Fidei, non tamen erit semper sufficiens Fidei regula; nam præter normam requitur Judex, qui omnem obscuritatem tollat & ambiguitatem, quæ plerumque est in Scripturis. Præterea etiam in antiqua Lege Scriptura erat norma Fidei, & tamen requirebatur etiam vivus Judex, nempe Summus Sacerdos, qui (a) debebat ultimum judicium proferre & nedum in aliis causis, sed etiam in causis Fidei, ut colligitur ex quo Sacerdotes dicuntur (b) judicare *ubicumque est quæstio de lege, de mandato, de ceremoniis, de justificationibus*, & docet etiam Josephus dicens (c): *Omnium rerum inspectores & controversiarum judices constituti sunt* (Sacerdotes). Ergo &c. Rursus cum fuerint plurimæ ortæ controversiæ in Ecclesia circa Fidem, nunquam sola regula definitionum Fidei fuit norma Scripturæ, sed & traditio Patrum, & auctoritas Ecclesiæ, ut constat ex Conciliis in causa hæresum congregatis. Tandem ita Scriptura est norma pro controversiis Fidei, ut sunt tabulæ legum pro actionis politicis, & testamenta pro distributione hæreditatum. Atqui nec tabulæ legum, nec testamenta sunt in supradictis sufficientes regulæ, sed præterea requiritur aliquis Judex, qui vel obscura testamentorum, & legum interpretetur, vel definiat casum hunc, vel illum lege, vel testamento contineri, vel definiat quid faciendum in casu, de quo lex aut testamentum non loquatur. Ergo a pari &c.

Obj. ex Scripturis. I. Si alia Fidei regula præter Scripturam adhiberetur, jam hæc adhiberetur vel

---

(a) *Deuter.* 17. (b) 2. *Paralip.* 19.
(c) *lib.* 2. *contr. Apion.*

vel ad interpretandas ipsas Scripturas, vel ad supplendum quod deest in illis, vel ad definiendum quænam sint Scripturæ authenticæ &c. Hoc non. Ergo &c. Prob. minor. Si ad hæc talia regula adhiberetur, jam Scriptura ab hac regula testimonium acciperet; cum autem hæc regula non possit esse nisi humana, jam Scriptura ab humana auctoritate acciperet testimonium, quod est contra illud Christi (a) *Ego non ab homine testimonium accipio*. Ergo &c.

II. Ipsa Scriptura se ipsam semper assignat ut regulam Fidei: clamat enim Deus, (b) *Ad legem magis & ad testimonium*.

III. Christus non ad alios Judices, sed ad solam Scripturam auditores suos remittebat: dicebat enim (c): *Scrutamini Scripturas*. Et de facto cum Apostoli prædicabant Evangelium, consueverunt auditores non ipsis fidere, sed Evangelium ipsum conferre cum Scriptura, ut ejusdem Evangelii veritatem agnoscerent: de Beroensibus enim & Thessalonicensibus (d) dicitur, quod audita Pauli prædicatione, *susceperunt verbum cum omni aviditate, quotidie scrutantes Scripturas, si hæc ita se haberent*. Ergo &c.

Ad I. ℞. Negando minorem primi argumenti, ad cujus probationem ℞. dupliciter posse intelligi aliquem de alio testimonium ferre: primo quatenus hoc independenter a testimonio alterius vim in se non habeat ad faciendam fidem: secundo ut vim quidem habeat, sed tamen opus sit alterius testimonio tanquam conditione, ut hæc vis cognoscatur & applicetur. Primum repugnat Scripturæ; verbum enim Dei independenter a quocumque inferiori testimonio vim in se habet ad persuadendum sufficientissimam. Alterum non repugnat, sicut nec Christo repugnavit, qui verba quidem supradicta protu-

lit

(a) *Jo.* 5. (b) *Isai.* 8. (c) *Jo.* 5.
(d) *Act.* 17.

lit quatenus, cum ipse pro sua Divinitate, de qua tunc loquebatur, haberet testimonium Patris, non indigebat testimonio humano talem Divinitatem roborante, sed tamen testimonia humana admisit illam notificantia, & aliis ostendentia. Tale fuit testimonium Joannis, de quo dicitur: (a) *Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine*: & Apostolorum de quibus dicitur; (b) *Vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis*: & alibi: (c) *Eritis mihi testes in Jerusalem, & in omni Judea*. Ergo &c.

Ad II. ℟. Ibi non provocari homines ad Scripturam in omnibus consulendam, sed solum Judæis suaderi, ut non consulant Pythones & Divinos ad cognoscenda futura; potius autem consulant Legem divinam, & Oracula Prophetarum. Patet hoc si integer textus proferatur: *Cum dixerint ad vos, quærite a Pythonibus, & a Divinis, qui strident in incantationibus suis: nunquid non populus a Deo suo requiret pro vivis a mortuis? Ad legem magis & ad testimonium. Quod si non dixerint juxta verbum hoc, non erit ejus matutina lux*. Ergo &c.

Ad III. ℟. Christum per verba adducta remittere auditores ad Scripturas, quod & Catholici faciunt, qui docent consulendas Scripturas & diligenter examinandas, ita tamen ut, si aliquid sit definiendum non contentum in Scripturis, vel locus obscurus sit explicandus, aliam tunc regulam requirant. Nec sane Christus ita commendat Scripturas, ut alia excludat, imo loco adducto alia quoque commendat. Cum enim ibidem totus sit in ostendenda propria Divinitate & missione a Patre, auditores remittit primo ad testimonium Joannis: *Vos misistis ad Joannem, & testimonium perhibuit veritati*: secundo ad testimonium miraculorum a se patratorum: *Ego habeo testimonium majus Joanne: opera enim, quæ dedit mihi Pater ut perficiam ea, testimonium* per-

(a) *Jo.* 1. (b) *Jo.* 15. (c) *Act.* 1.

perhibent de me, quia Pater misit me, tertio ad testimonium Patris: *& qui misit me Pater, ipse testimonium perhibuit de me*, quarto tandem ad Scripturas. Addo incertum esse utrum illud *scrutamini* sit temporis imperativi, an indicativi præsentis, contendentibus aliquibus esse indicativi præsentis, quo posito; hic est sensus ad adversariorum intentum impertinens: vos quidem modo Scripturis studetis, sed tamen iisdem non creditis indigitantibus meam Divinitatem, quod est conforme verbis textus: *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere, & illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me, & non vultis venire ad me, ut vitam habeatis.* Hoc autem admisso, verba Christi potius faciunt contra adversarios, nam ut Judæi volentes tantum attendere Scsipturis, & respuentes alia testimonia supradicta decepti sunt non agnoscentes Divinitatem Christi, sic facient Hæretici nullam aliam agnoscentes Fidei regulam nisi Scripturam. Quod additur nihil probat. Qui enim scrutabantur Scripturas erant Judæi, quos ad Christum convertere volebant Apostoli per Scripturas ab ipsis admissas, unde prædicatio Apostolorum ad illos reducebatur ad hoc argumentum: credite Christum esse Messiam, esse Deum, resurrexisse &c. si hoc constet ex Scriptura. Constat autem. Ergo &c. Porro Judæi de majore non dubitabant; de veritate autem minoris reddendi erant certi oculari inspectione. Nil ergo mirum si hi Scripturas scrutabantur. Quod si etiam omitteretur ipsos Apostolis non fidisse, nil mirum; nam ipsis Divinitas magisterii Apostolorum adhuc erat ignota, & aliunde permittitur homini de aliquibus dubitare antequam Fidem suscipiat, de quibus post susceptam Fidem non permittitur (quod debent & ipsi adversarii fateri, nam nec per ipsos licet modo dubitare de iis, quæ docuerunt Apostoli, quin obstet adductum exemplum Judæorum.) Non sumus autem in pari casu cum istis Judæis. Ergo &c.

Obj. ex ratione. Si alia Fidei regula præter Scripturam admitteretur, hujus sane vis in ipsa Scriptura fundaretur: vicissim autem hæc regula per

Catholicos probaret Scripturam. En ergo vitiosus circulus, quem Catholici admittunt.

℟. In primis retorquendo argumentum contra Novatores. Si admittendus esset ut regula Fidei spiritus privatus, hujus sane vis in Scripturis fundaretur: vicissim autem hic spiritus per ipsos probat Scripturam. En igitur vitiosus circulus: quod si hic non est, neque erit quem Catholicis objiciunt.

Directe ut respondeam, noto quæstionem quoad hoc Catholicis esse posse vel cum Hæreticis Scripturam admittentibus, vel cum aliis Infidelibus non admittentibus. Si primum; probant quidem Catholici auctoritatem aliarum regularum Fidei ex Scripturis, sed has Scripturas supponunt jam ab adversariis admissas, & ita declinant vitiosum circulum; hic enim committitur cum hoc per illud, & illud per hoc probamus apud eum, qui utrumque æqualiter negat: ut si neganti veracitatem tum Petri, tum Pauli, probarem veracitatem Petri ex testimonio Pauli, hujusque veracitatem ex testimonio Petri. At si quis admitteret veracitatem Petri, negaret Pauli, possem ex testimonio Petri probare Pauli veracitatem; & ita Christus Judæis admittentibus Moysen, negantibus autem seipsum, probabat seipsum ex testimonio Moysis dicens: (a) *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi, de me enim ille scripsit.* Contra Augustinus Manichæis Christum admittentibus, negantibus Moysen, hunc ex testimonio illius probabat in libris contra Faustum. Quærenti igitur Hæretico: *unde probas auctoritatem Traditionis, Ecclesiæ, aliarumque regularum Fidei?* respondeo: *ex Scripturis*. Quærenti rursus: *unde probas auctoritatem Scripturæ?* respondeo: *hæc mihi tecum disputanti non est probanda, sed supponenda, tecum enim ago qui Scripturam ultro admittis*. Quod idem, ut patet, dicendum si Hæreticus non totam admittat Scripturam, sed partem tantum, dummodo locus Scri-

(a) *Jo.* 5.

Scripturæ, ex quo intentum probandum est, sit ex admissis ab adversario.

At si quæstio sit cum alio Infideli non admittente Scripturas, (quod idem proportionaliter valet de admittente quidem Scripturas, sed non pro ea parte, qua aliarum regularum Fidei vis ex illis probatur) apud quem proinde omnia sunt vindicanda, diversa via proceditur. Nam in primis illi ostenditur per motiva evidentis credibilitatis veritas Religionis nostræ: hoc posito ostenditur Religionem hanc venerari Scripturas ut verbum Dei, adeoque illas vere tales esse. Ex Scriptura sic probata proceditur postea ad probandas alias regulas Fidei. Nec sic committitur vitiosus circulus; nam si committeretur, per hoc præcipue committeretur, quod ad probandam auctoritatem Scripturæ; ex qua postea aliæ fidei regulæ probandæ sunt, adhiberetur superius instituta ratiocinatio, qua iisdem regulis uti videmur, nimirum auctoritate & Ecclesiæ Scripturas proponentis ut verbum Dei, & Traditionis hanc semper fuisse Ecclesiæ mentem comprobantis. Sed nullus in hoc est vitiosus circulus. Nam quamvis auctoritas & Ecclesiæ & Traditionum utcumque adhibeantur, non considerantur tamen tunc ut auctoritates divinæ, sed ut mere humanæ & prudentes. Quod scilicet vera Religio, quæ supponitur vigere in Ecclesia Christiana, dictet atque semper dictaverit Scripturam esse verbum Dei, eruimus ex Traditione considerata non ut est verbum Dei, sed juxta vim, quam communiter habet apud homines prudentes, & juxta quam probantur tot alia a Fide disparata, ut E. G. quod antiqui Romani semper coluerint Jovem, Turcæ Mahumetem &c. Veram pariter Religionem, adeoque Ecclesiam in colendis Scripturis ut verbum Dei non decipi, eruimus non ex assistentia Dei erga Ecclesiam (hæc enim assistentia est Infideli ignota) sed ex notione omnibus naturaliter insita veræ Religionis. Adhibita ergo auctoritate humana tum Ecclesiæ, tum Traditionis, probatur divina auctoritas Scripturæ, ex qua postea divina auctoritate probatur auctoritas non amplius præcise hu-

humana, sed divina tum Ecclesiæ, tum Traditionis, tum aliarum regularum Fidei. Ex quo patet diverso modo considerari in casu vim aliarum regularum Fidei, cum per illas Scriptura probatur, at cum illæ probantur ex Scriptura, adeoque vitiosum circulum evitari. Circa hoc videantur etiam quæ dicentur in Tractatu de Fide, cum ex professo agetur de veritate Catholicæ Religionis.



DISSERTATIO II.

De Traditionibus.

DIssertationem hanc in duo capita divido. In 1. exponam naturam & divisiones Traditionum, in 2. de illarum auctoritate disseram.

CAPUT PRIMUM.

Exponuntur natura & divisiones Traditionum.

EXponam hic 1. quid & quotuplex sit Traditio, 2. regulas principaliores assignabo ad discernendas varias Traditionum species.

ARTICULUS PRIMUS.

Traditionis nomen vel late sumi potest, vel stricte. Late significat omnem doctrinam, quæ alteri ab altero sive ore, sive scripto communicatur: stricte significat doctrinam non scriptam, sed viva voce ab uno alteri communicatam. Cum autem dicitur Traditio doctrina non scripta subintelligitur *ab illius auctore, vel de illius mandato*; quod enim sit postea ab aliis scripta, non impedit ne Traditionis stricte sumptæ nomen sortiatur. Sic quod infantes sint capaces Baptismi dicitur Traditio apostolica, quia Apostoli hoc oretenus docuerunt, licet eorum discipuli SS. Patres idem scriptis consignarint. Mul-

Multiplex est divisio Traditionum. Alia petitur ab illarum auctore, alia ab illarum materia, alia ab illis apud quos vigent, alia tandem ab illarum duratione.

Ex parte auctoris Traditionum hæ dividuntur in *Divinas*, *Apostolicas*, *&* *Ecclesiasticas*. *Divina* est, quæ immediate proficiscitur ex Deo. Talis erat E. G. quæ ante Legem scriptam docebat quodnam esset remedium pro parvulis ab Originali mundandis. *Apostolica* est, quæ originem habet immediate ab Apostolis non proponentibus rem ut a Deo immediate revelatam vel præceptam (tunc enim Traditio esset divina, & Apostoli illius potius essent testes & promulgatores, quam principia). Talis est Traditio de observantia Quadragesimalis jejunii, de observando die Dominico, loco sabbathi &c. *Ecclesiastica* illa est, quæ ab Ecclesia Apostolis posteriore originem immediate habet, ut esset Traditio de abstinentia a carnibus & lacticiniis in Quadragesima.

Ex parte materiæ Traditiones dividuntur in Traditiones *de doctrina*, & *de praxi*. Illæ sunt quarum materia est mere speculativa, scilicet non ordinata ad opus; hæ quarum materia est ad opus ordinata. Traditio E. G. docens Mariam fuisse semper Virginem est de doctrina: Traditio docens esse aquam vino in calice miscendam, est de praxi. Traditio de doctrina alia est *de Fide*, alia non. Prima docet aliquid Fide divina credendum, ut esset allata de perpetua virginitate Deiparæ: posterior, quæ aliquid docet non necessario Fide divina credendum, ut Traditio quod Christus fuerit natus die 25. Decembris. Traditio de praxi dividitur in *necessariam*, & *liberam*. *Necessaria* est cujus materia est præcepta, ut Traditio supra assignata jejuniorum, aquæ vino in calice miscendæ &c. *Libera* est cujus materia non cadit sub præcepto, ut Traditio de signo Crucis in fronte faciendo, de adhibenda aqua lustrali &c.

Ex parte illorum, apud quos viget Traditio, hæc dividitur in *universalem*, & *particularem*. Prima est, quæ respicit totam Ecclesiam, ut omnis Traditio pertinens ad Fidem: secunda quæ non

totam Ecclesiam respicit: talis erat tempore S. Ambrosii Traditio, quæ in Romana Ecclesia vigebat, non vero in Mediolanensi, jejunandi sabbatho.

Tandem ex parte durationis Traditiones dividuntur in *perpetuas*, & *temporales*. *Perpetuæ* sunt quæ semper sunt duraturæ, ut Traditio de aqua vino miscenda in calice, & generatim omnes Traditiones divinæ. *Temporales* sunt quæ ad certum tempus sunt institutæ, ut Traditio de trina immersione in Baptismo,

ARTICULUS SECUNDUS.

Ut distinguantur a se invicem Traditiones Divinæ, Apostolicæ, & Ecclesiasticæ (præstat enim eas sic distinguere, cum non omnium, ut inferius patebit, æqualis sit vis) opportunissimæ sunt quæ sequuntur regulæ.

I. Consideranda est Traditionis materia; si enim sit de Fide, aut versetur circa id, in quod Ecclesia non habet potestatem, est dicenda Divina. Ratio primi est, quia solus Deus potest proponere credenda Fide Divina: ratio secundi est, quia si a Deo originem non haberet Traditio, Ecclesia haberet in illius materiam potestatem: si ergo non habet, Traditio a Deo profluit. Si e contra Traditio non sit de Fide, aut circa id versetur, in quod Ecclesia habet potestatem, non est dicenda Divina.

II. Considerandum est judicium, quod de Traditione ferunt aut Ecclesia universalis, aut SS. Patres, aut etiam particularis Ecclesia Romana. Cum enim sensus Ecclesiæ universalis, & SS. Patrum ex infra probandis dirigat Fideles, quod idem potest extendi ad Ecclesiam Romanam, utpote magistram omnium aliarum Ecclesiarum; qui ex hoc sensu judicat de Traditione, recte judicat. Quod si particulares Ecclesiæ dempta Romana essent divisæ, aut essent divisi Patres, illi parti adhærendum, quæ cæteris paribus majoris esset auctoritatis.

III. Consideranda est universalitas aut particularitas Traditionis; si enim sit particularis, non erit

erit nisi Ecclesiastica, cum limitationem in Traditione Divina aut Apostolica ineptum sit fingere. Si vero sit universalis, ex superioribus regulis cognosci poterit utrum sit Divina, vel Apostolica.

IV. Considerandum est Traditionis initium: si enim hoc referatur ad tempora Apostolis posteriora, manifeste est Ecclesiastica: si ad tempora Apostolorum, erit Divina si omnia supra adducta pro Traditione Divina verificentur, secus Apostolica: quo sensu dixit Augustinus: (a) *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum, nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur*:

CAPUT SECUNDUM.

De Auctoritate Traditionum.

TRaditiones tamquam inutiles vel etiam noxias præter plures antiquos Hæreticos respuunt Hæretici moderni Lutherus & Calvinus. Contra hos Traditionum auctoritas ostendetur 1. probando Traditiones in genere esse utiles; 2. probando illas esse in Religione nostra necessario admittendas, 3. ostendendo vim singularum specierum Traditionum.

ARTICULUS PRIMUS.

Assertio. *Utiles sunt Traditiones*.

Prob. ex Scriptura docente homines posse quæ scienda sunt addiscete per doctrinam oretenus illis communicatam. Sic dicitur: (b) *State super via, & interrogate de semitis antiquis quæ sit via bona, & ambulate in ea*. Rursus: (c) *Non te prætereat narratio seniorum; ipsi enim didicerunt a patribus suis: quoniam ab ipsis disces intellectum, & in tempore necessitatis dare responsum*. Rursus: (d) *State & tenete Traditiones, quas didicistis sive*

 per

(a) *lib. 4. de Baptis. contr. Donat. cap.* 24.
(b) *Jerem.* 6. (c) *Eccl.* 8. (d) 2. *Thess.* 2,

per epistolam nostram. Tandem Apostolus ita alloquitur Timotheum: (a) *Tu ergo, fili mi, confortare in gratia, quæ est in Christo Jesu, & quæ audisti a me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere*. Ergo &c,

Prob. ex praxi, quæ semper in vera Religione viguit: nam in Lege naturæ plura sciebant homines per solam Tsaditionem. Plura enim Deus Adamo revelavit tum circa præmia & supplicia alterius vitæ, tum circa venturum Messiam, tum circa remedium pro parvulis ab originali mundandis, & similia, quæ omnia debebant etiam tunc sciri & credi, & tamen non erant scripta: per solam ergo Traditionem innotescebant. Plures etiam fuisse Traditiones, tempore Legis scriptæ, est probabilissimum circa ea præcipue, quæ erant scienda & credenda. Ergo &c.

Hinc Tridentinum hæc de Traditionibus habet: (b) *Sacrosancta œcumenica & generalis Tridentina Synodus perspiciens veritatem & disciplinam contineri in Libris scriptis, & sine scripto Traditionibus, quæ ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis, Spiritu S. dictante, quasi per manus traditæ ad nos usque pervenerunt, Orthodoxorum Patrum exempla secuta omnes Libros.....nec non Traditiones tum ad Fidem, tum ad mores pertinentes tamquam vel oretenus a Christo, vel a Spiritu S. dictatas, & continua successione in Ecclesia catholica conservatas pari pietatis affectu ac reverentia suscipit & veneratur*.

Obj. ex Scripturis I. Hæ prohibent omne id, quod non est scriptum; nam dicitur: (c) *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo*. Rursus: (d) *Sed licet nos aut Angelus de cœlo evangelizet vobis præterquam quod evangeliza-*

(a) 2. *Timoth.* 2. (b) *Sess.* 4. (c) *Deut.* 4.
(d) *Gal.* 1.

lizavimus vobis, anathema sit. Et: (a) *Si quis apposuerit* (idest addiderit) *ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto*.

II. Hæ rejiciunt expresse Traditiones; nam Christus ait: (b) *Irritum fecistis mandatum Dei propter Traditionem vestram..... sine causa autem colunt me docentes doctrinas & mandata hominum:* & Apostolus: (c) *Videte ne quis vos decipiat per Philosophiam & inanem fallaciam secundum Traditionem hominum*. Ergo &c.

Ad I. ℟. In Deuteronomio non prohiberi nisi additionem Scripturæ contrariam; alias impie fuissent scripti omnes libri Deuteronomio posteriores. Præterea sensus litteralis illius phrasis *non addetis, neque auferetis*, similis est alteri *non declinabis neque ad dexteram neque ad sinistram*, cujus est sensus, quod exacte & diligenter servanda sunt divina mandata. Tandem non prohibetur eo in loco additio ad Scripturam, sed ad verbum Dei, quomodocumque postea sit prolatum: non enim dicitur *non addetis ad verbum, quod scripsi*, sed *ad verbum, quod loquor*. Loco sequenti nos damnat Apostolus nisi eos, qui evangelizaverint aliquid contrarium iis, quæ evangelizata ab ipso sunt. Patet; nam post illam epistolam alia tum ab ipso, tum ab aliis Apostolis fuerunt scripta, ut Evangelium & Apocalypsis S. Joannis. Eruntne igitur & isti damnati? Quod confirmatur; nam græca vox, quæ hic vertitur *præter*, vertitur etiam *contra*, & sic vertitur Rom. 1. v 26. & 4. v. 18. Sic etiam latine dicimus aliquid fieri *præter spem, morem, opinionem*, quod fit *contra spem, morem, opinionem*. Præterea non dicit Apostolus *præter id, quod scripsimus*, sed *præter id, quod evangelizavimus*, quod comprehendit etiam Traditiones. S. porro Joannes prohibet tantum corruptionem libri Apocalypsis, vel etiam ne illi libro quidquam adjungatur ut scri-

 ptum

(a) *Apoc. ultim.* (b) *Matth.* 15.
(c) *Cor.* 2.

ptum ab ipso. Et de facto ipse postea scripsit Evangelium.

Ad II. R. Traditiones illas, quæ allatis locis reprehenduntur, esse solum Traditiones Pharisæorum vel impias, vel inanes.

Obj. ex Patribus. Hi docent esse contemnendum omne id, quod est extra Scripturam; nam I. S. Irenæus (a) exprobat Hæreticis quod dicerent sine Traditionibus intelligi non posse Scripturas: *Cum ex Scripturis, inquit, arguuntur, in accusationem convertuntur ipsarum Scripturarum, quasi non recte habeant, neque sint ex auctoritate, & quia varie sint & quia non possit ex his inveniri veritas ab his, qui nesciant Traditionem.*

II. Tertullianus: (b) *Adoro*, inquit, *Scripturæ plenitudinem, qua mihi & factorem manifestat & facta. An autem de aliqua subjacenti materia facta sint omnia, nusquam adhuc legi. Scriptum esse doceat Hermogenis officina. Si non est scriptum, timeat væ illud adjicientibus, aut detrahentibus destinatum.*

III. S. Cyprianus contra S Stephanum objicientem rebaptizantibus Traditionem ait: (c) *Unde est ista Traditio? Ea facienda esse quæ scripta sunt Deus testatur . . . Si ergo aut Evangelio præcipitur, aut in Apostolorum epistolis, vel actibus continetur, ut a quacumque hæresi venientes non baptizentur, sed tantum manus illi imponatur in pœnitentiam, observetur divina hæc & sancta Traditio.*

IV. S. Basilius (d) *Manifestissimum*, inquit, *hoc infidelitatis argumentum fuerit, & signum superbiæ certissimum, si quis eorum, quæ scripta sunt, aliquid velit rejicere, aut eorum quæ non scripta introducere.*



(a) *lib.* 3. *de Hæres. Cap.* 2. (b) *contr. Hermogenem Cap.* 2. (c) *Ep.* 74. *ad Pompejum.*
(d) *In Asceticis Cap. de vera & pia fide.*

V. S. Hieronymus: (a) *Quod de Scripuris*, inquit, *auctoritatem non habet, eadem facilitate contemnitur, qua probatur*.

VI. Theophilactus super illud Apostoli Gal. I. supra relatum, inquit: *Neque enim si contraria solum prædicaverint, intulit* (Apostolus), *sed si evangelizaverint id, præter quod ipsi evangelizavimus, hoc est, si plusculum quidpiam ipsi adjecerint; exercrationi subdantur*. Ergo &c.

℟. Ad I. Traditionem, ob quam admissam Heretici a S Irenæo reprehenduntur, esse Traditionem illegitimam; nam ibidem & ipse dicit eosdem ad veram Traditionem a' Catholicis provocari: *Cum autem*, inquit, *ad eam iterum Traditionem, quæ est ab Apostolis, quæ per successiones Presbyterorum in Ecclesiis custoditur, provocamus eos, adversantur Traditioni*. Imo expresse eodem libro Traditiones commendat S. Irenæus dum inquit: (b) *Quid autem si neque Apostoli quidem Scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat sequi ordinem Traditionis, quam tradiderunt iis, quibus committebant Ecclesias? Cui ordinationi assentiunt multæ gentes Barbarorum eorum, qui in Christum credunt; sine charta & atramento scriptam habentes per Spiritum in cordibus suis salutem, & veterem Traditionem diligenter custodientes*.

Ad II. ℟. Hermogenem contendisse mundum fuisse a Deo creatum ex præexistente materia, quod est contrarium illi Genesis: (c) *In principio creavit Deus Cœlum & Terram*. Cum autem ipse jactaret se errorem suum eruere ex Scriptura, recte illum reprehendit Tertullianus utpote sibi proprio marte fingentem in Scriptura quod in ea non est. Patet ergo de quanam additione Scripturæ facta loquatur Tertullianus; qui insuper aliis locis manifeste favet Traditionibus, & præsertim Libro de Corona, (d) ubi, postquam varia adduxit exempla illo-

C 6 rum

(a) *In Cap.* 23. *Matt.* (b) *Cap.* 4.
(c) *Cap.* 1. (d) *Cap.* 3. & 4.

rum, quæ in Scriptura non reperiuntur & tamen observantur, subdit: *Harum & aliarum hujusmodi disciplinarum si legem expostules Scripturarum, nullam invenies: Traditio tibi prætenditur auctrix .... His igitur exemplis renunciatum erit, posse etiam non scriptam Traditionem in observatione defendi confirmatam consuetudine.*

Ad III. ℟. Primo: Cypriani auctoritatem hac in re nihili faciendum, cum ipse errorem suum de rebaptizandis ab Hæreticis baptizatis tueri volens æstu disputationis abreptus in hoc erraverit: & revera S. Augustinus hanc epistolam reprehendit. (a) ℟. secundo S. Cyprianum non negasse vim omnium Traditionum, sed hujus unius, quam non existimabat descendere ab Apostolis. Quod autem Traditiones aliquas admiserit patet ex quo aquam esse vino in calice miscendam probat ex Traditione (b): *Admonitos*, inquit, *nos scias, ut in Calice offerendo Dominica Traditio servetur, neque aliud fiat a nobis, quam quod pro nobis Dominus prior fecerit, ut calix, qui in commemorationem ejus offertur, mixtus vino offeratur.*

Ad IV. ℟. Traditiones esse in Scriptura saltem mediate, quatenus a Scriptura auctoritatem habent. Non ergo qui admittit Traditiones contradicit S. Basilio; præsertim cum ipse alibi expresse Traditiones commendet, ut dum inquit: (c) *Dogmata & instituta, quæ in Ecclesia prædicantur, quædam habemus e doctrina scripto prodita, quædam rursus ex Apostolorum Traditione in mysterio, idest in occulto tradita recepimus, quorum utraque parem habent vim ad pietatem.*

Ad V. ℟. Primo Traditiones habere auctoritatem a Scriptura; nam per illam probantur: secundo hunc esse sensum verborum S. Hieronymi: *Quod non probatur ex libro genuino Scripturæ, sed tantum ex apocrypho, auctoritatem non habet;* loquitur enim

(a) *lib. 5. de Baptism. contr. Donat. Cap.* 23. *& sequent.* (b) *Ep.* 63. (c) *lib. de Spir. S. c.* 27.

nim de illo Zacharia, quem dixit Christus fuisse occisum inter templum & altare, quemque aliqui ex libro apocrypho contendebant esse Patrem S. Joannis Baptistæ. Ergo &c. Sed alio loco (a) suam mentem de Traditionibus ostendit; postquam enim introduxit Hæreticum dicentem *etiamsi Scripturæ auctoritas non subesset* (qua scilicet probatur ab Episcopis per impositionem manuum Spiritum S. conferri), *totius orbis in hac parte consensus instar præcepti obtineret; nam & alia multa, quæ per Traditionem in Ecclesiis observantur, auctoritatem sibi scriptæ legis usurpaverunt;* quæ verba apertissime Traditiones commendant; ipse ita respondet: *Non quidem abnuo hanc esse Ecclesiarum consuetunem; sed quale est, ut leges Ecclesiæ ad hæresim transferas?* Ubi patet S. Doctorem concedere usum & vim Traditionum, quamvis ob illarum abusum Hæreticum reprehendat.

Ad VI. ℟. Theophilactum de iis dogmatibus loqui, quæ licet non evertant Evangelium, ipsum tamen labefactant aliquo modo; nam Theophilacti mens eadem certe est, ac Chrysostomi, cujus commentaria pene ad verbum excribit: ita autem hunc locum exponit Chrysostomus (b).

Obj. ex ratione. Traditiones sunt occasiones errorum; nam veteres Hæretici ad suorum errorum patrocinium Traditiones adhibebant. Ita Marcion venditabat se a discipulis S. Matthiæ fuisse edoctum, Artemon asserebat Apostolos prædicasse Christum esse purum hominem, & id Ecclesiam sensisse usque ad Victorem Pontificem. Error Millenariorum ab aliquibus Patribus propugnatus, fundabatur ab illisin Traditione Apostolica. Ergo &c.

℟. Etiam ex Scripturis Hæreticos desumpsisse occasiones errorum. Eruntne ergo propterea Scripturæ repudiandæ? Rursus non omnia, quæ sub Traditionis nomine obtruduntur, veræ Traditiones sunt, sicuti

(a) *Dialog. contr. Lucifer.*
(b) *Homil. I. in Epist. ad Galat.*

sicuti non omnia, quæ sub Sacræ Scripturæ nomine circumferuntur, Sacræ Scripturæ sunt. Veræ non fuerunt Traditiones adductæ in objectione. Ergo &c.

ARTICULUS SECUNDUS.

Assertio. *In Religione nostra sunt de facto necessario admittendæ Traditiones.*

Cum dico in Religione nostra necessario admittendas Traditiones, non eo sensu dico, quod non potuerit hæc institui absque Traditionibus; ab hoc enim nunc præscindo, sed quod illam ita institutam voluerit de facto Deus, ut necessario in illa Traditiones sint admittendæ. Juxta hunc sensum.

Prob. assertio ex Scriptura & quidem ex locis in probationem superioris Conclusionis adductis ex novo Testamento.

Prob. ratione. Aliqua vel Fide divina creduntur, vel observantur in Religione nostra, quæ soli Traditioni nituntur. Ergo &c.

Prob. Antecedens. Creditur perpetua virginitas Deiparæ, validitas Baptismi infantibus collati: observatur jejunium & abstinentia ab ovis & lacticiniis in Quadragesima; quæ omnia vel credenda, vel observanda esse sola Traditione constat. Ergo &c.

Obj. ex Scripturis docentibus sufficere quæ scripta sunt, I. illud: (a) *Hæc scripta sunt ut credatis, quia Jesus Christus est Filius Dei, & ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.*

II. Illud Apostoli: (b) *Ab infantia sacras Litteras nosti, quæ te possunt instruere ad salutem. Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, & corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.* Ergo &c.

℟. Ad I. S. Joannem loqui de miraculis Christi, ex quibus quæ sunt scripta afferuntur sufficientia

(a) *Jo.* 20. (b) 2. *Timot. Cap.* 3.

tia ad ostendendam ipsius divinitatem; non autem asserere omnia in Evangelio contineri, quæ necessaria sunt ut credantur. Patet ex contextu: *Multa quidem*, inquit supra, *& alia signa fecit Jesus, quæ non sunt scripta; hæc autem scripta sunt* &c. Præterea si quæ scripsit S Joannes in Evangelio essent sufficientia ad salutem, jam superfluæ essent omnes aliæ Scripturæ; quod non est dicendum.

Ad II. ℟. Sacras Litteras, quibus dicit Apostolus posse instrui Timotheum, esse Testamentum vetus; nam illæ sunt, quas Timotheus didicit ab infantia; at hic ab infantia non potuit discere nisi Testamentum vetus, cum novum tunc non fuisset scriptum. Ut igitur, cum dicit Apostolus ex Testamento veteri potuisse instrui Timotheum ad salutem, non excluditur necessitas novi, ita non est cur dicamus excludi necessitatem Traditionum. Præterea ex quo omnis Scriptura sit utilis, non sequitur quod sit sufficiens. Tandem etsi Scriptura diceretur sufficiens, ideo diceretur, quia necessaria ad salutem vel continet, vel ostendit unde sint desumenda.

Obj. ex Patribus S. Augustinus expresse docet omnia necessaria in Scripturis contineri; inquit enim: (a) *In his, quæ aperte in Scripturis posita sunt, inveniuntur illa omnia, quæ continent Fidem, moresque vivendi*. Ergo &c.

℟. S. Augustinum ideo hoc asserere, quia in Scripturis continentur generalia necessaria singulis, licet non omnia contineantur necessaria quidem, sed non singulis. Generalia scilicet & principaliora quoad regulas tum Fidei, tum morum ab omnibus & singulis cognoscenda in Scripturis continentur, ut sunt E. G. notitia Dei, & præcipuorum mysteriorum Fidei. Quæ vero debent quidem cognosci, sed non a singulis, ut E. G. quæ pertinent ad rectam Sacramentorum administrationem, non omnia in Scripturis continentur; sed aliqua oretenus tradi-

ta

(a) *Lib. 2. de Doctr. Christ. cap. 9.*

ta sunt vel a Deo, vel ab aliis sacris Scriptoribus, & præcipue ab Apostolis; qui sicuti principaliora tum quoad Fidem, tum quoad mores omnibus prædicarunt, sic etiam scriptis mandarunt, cum tamen aliqua non singulis necessario scienda seorsim ab aliis Episcopos & Pastores docerent, quæ postea ab istis aliis oretenus traderentur, & sic deinceps. Ita Apostolus (a) seorsim a populo instruit Episcopos Asiæ, & alibi: (b) *Sapientiam loquimur inter perfectos*: & ad Timotheum inquit: (c) *Hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere*. De facto autem S. Augustinus loquens de Traditione Ecclesiæ, quæ contra S. Cyprianum volentem ut rebaptizarentur baptizati ab Hæreticis objiciebatur, ait: (d) *Consuetudo illa, quæ opponebatur Cypriano, ab Apostolorum Traditione exordium sumpsisse credenda est: sicut sunt multa, quæ universa tenet Ecclesia, & ob hoc ab Apostolis præcepta bene creduntur, quanquam scripta non reperiantur*.

Obj. ex ratione. Impossibile videtur conservari potuisse Traditiones in Ecclesia ob negligentiam, oblivionem, imperitiam, & perversitatem hominum. Ergo &c.

℟. Potuisse servari Traditiones in Ecclesia ut conservatæ sunt Scripturæ, & ut per plura annorum millia in Lege scilicet naturæ & scripta aliquæ Traditiones servatæ sunt. Præterquamquod licet nostræ Traditiones non sint scriptæ a primariis illarum auctoribus, plerumque tamen sunt scriptæ in libris Patrum. Favent etiam servandis Traditionibus in plerisque usus Ecclesiæ, favent exteriora monumenta ut Templa, Imagines, Inscriptiones &c., favent denique aliquo modo & ipsæ hæreses; quia cum semper fuerint in Ecclesia Hæretici, semper quoque fuerunt qui ad ipsos refellendos diligentissime veram doctrinam investigarunt, sicque Traditio facilius

(a) *Act.* 20. (b) 1. *Cor* 2. (c) 2: *Timot.* 2.
(d) *Lib.* 5. *de Baptism. contr. Donat.* *Cap.* 23.

lius conservata est, *eo modo, quo*, inquit Bellarminus, (a) *qui diu pacifice possidet bona sua, facile amittit instrumenta & litteras, quibus continetur, unde illa bona ad eum pervenerint, & quo jure bona illa possideat: at qui semper litigat, diligentissime illa custodit, nec excidere ulla ratione patitur.*

ARTICULUS TERTIUS.

Quoad auctoritatem singularum speciem Traditionum hæc sunt notanda.

Traditiones Divinæ eandem habent auctoritatem, ac Scriptura; æque enim ac Scriptura sunt verbum Dei, cui verbo accidentale est, ut sit vel scriptum, vel non scriptum. Et de facto in Ecclesia quæ ex Divina Traditione agnoscuntur, ut perpetua virginitas Deiparæ, quod parvuli sint capaces Baptismi, quod non sint rebaptizandi baptizati ab Hæreticis &c. Fide divina creduntur.

Traditiones Apostolicæ minorem sane habent auctoritatem quam Divinæ; habent tamen magnam, cum ab iis proficiscantur, qui magistri & fundatores Ecclesiæ sunt constituti.

Tandem Ecclesiasticæ quamvis minoris & ipsæ auctoritatis sint ac Divinæ, magnam tamen habent auctoritatem, cum vel a Conciliis vel a Summis Pontificibus proficiscantur.

Patet ergo Divinas esse regulas Fidei; alias tales non esse, utique vero, si sint practicæ, esse regulas agendorum defectibiles tamen: quatenus per contrariam consuetudinem, vel etiam per contrarium Ecclesiæ præceptum potest tolli illarum usus, vel etiam introduci contrarius, ut contingit respectu Traditionis de trina immersione in Baptismo, de porrigendo baptizatis lacte & melle &c.

DIS-

(a) *De verbo Dei Lib. 4. Cap. 21.*

DISSERTATIO III.

De SS. Patribus & Doctoribus Ecclesiæ.

AGendum modo de SS. Patribus & Doctoribus Ecclesiæ, qui sunt Traditionum custodes & propagatores. Duo hic capita, In 1. de eorum auctoritate agetur: in 2. potiores regulæ assignabuntur pro illorum intelligentia.

CAPUT PRIMUM.

De auctoritate SS. Patrum & Doctorum Ecclesiæ.

EXponam hic 1. quinam sint Ecclesiæ Patres & Doctores, 2. quænam sit illorum in rebus theologicis auctoritas.

ARTICULUS PRIMUS.

Doctor Ecclesiæ dicitur *cujus doctrinam sequitur Ecclesia*. Hæc autem non sequitur doctrinam nisi sanctorum, sapientissimorum, & probatorum hominum. Ex quo patet & doctrinam requiri in Doctoribus, & sanctitatem, & ut tanquam Doctores ab Ecclesia agniti sint & approbati. Primum debet ita intelligi, ut veram ordinarie Fidem docuerint: quidquid sit utrum aliquando in aliqua re obscura, & nondum ab Ecclesia definita erraverint, ut erravit S. Cyprianus in quæstione de Baptismo Hæreticorum, quo tamen non obstante ut Doctor Ecclesiæ habetur. Secundum non est quidem ex natura rei necessarium, cum possit etiam impius sana docere, sed tamen Ecclesia nunquam ut suos Doctores agnovit, nisi quos vidit doctrinæ sanctitatem usque ad mortem conjunxisse; & hinc Tertullianum & Origenem, de quorum finali sanctitate non constat, quamvis doctissimos viros Ecclesia tamen ut suos Doctores non agnoscit, & si tales aliquando dicuntur, im-

improprie dicuntur. Tertii tandem necessitas ex eo fit manifesta, quod sicuti nullus in aliqua Universitate gerit munus Doctoris, nisi ab illa ut talis agnoscatur, & sicuti nullus in Ecclesia colitur ut Sanctus, nisi quem Ecclesia Sanctum declaraverit: ita a pari nullus censendus est Ecclesiæ Doctor, nisi quem ut talem agnoverit ipsa Ecclesia: præsertim cum hæc non consueverit cæco modo omnium doctrinam sequi, sed prius diligenter examinet an digni sint qui audiantur. Noto tamen idem non esse quod aliquis sit *Doctor Ecclesiæ* & quod sit *Doctor in Ecclesia*; primum enim omnia supradicta importat; ad alterum sufficit quod Lauream Doctoralem in aliqua catholica Universitate obtinuerit. De Doctoribus tantum Ecclesiæ hic loquor.

Nomine *SS. Patrum Ecclesiæ* juxta vim nominis possunt venire Apostoli & Evangelistæ, qui prædicatione & scriptis Ecclesiam fundarunt, adeoque Fideles Ecclesiam constituentes tanquam filios genuerunt. Possunt etiam venire Episcopi, qui & ipsi prædicatione, exemplo, & regimine filios spiritualiter generant, sed juxta Theologorum usum veniunt prisci illi SS. Viri, qui post Apostolos doctrina, exemplis, & laboribus Fideles spiritualiter genuerunt. Unde patet ad constituendum aliquem Ecclesiæ Patrem illas omnes conditiones requiri, quæ requiruntur ad aliquem constituendum Ecclesiæ Doctorem, & præterea requiri antiquitatem; quæ quidem ita debet intelligi, ut qui censendus est Pater, vixerit temporibus proximis temporibus Apostolorum, vel saltem non longe ab iis; junior enim, ut inquit Angelicus, pedagogus potius dici debet, qui filium jam natum nutrit & erudit, quam pater, qui primo generat. Antiquitatem hanc agnoscunt Theologi usque ad tempora SS. Thomæ & Bonaventuræ, qui 13. Ecclesiæ sæculo floruerunt. quique idcirco inter Patres computantur quamvis postremi sint.

AR-

ARTICULUS SECUNDUS.

SS. Ecclesiæ Patres & Doctores vel loquntur de rebus naturalibus, vel supernaturalibus, & si de his, vel eas non proponunt ut ad Fidem aut mores necessario spectantes, aut cum eis necessario connexas, vel sic proponunt. Rursus possunt considerari singillatim, & conjunctim. His positis sit.

Assertio Prima. *Cum SS. Patres & Doctores de rebus naturalibus loquuntur, non est major illorum auctoritas, quam mereatur pondus rationum ab ipsis allatorum* (nam tunc solo lumine naturali ducuntur, adeoque sunt considerandi precise ut Philosophi, qui tantum valent quantum probant).

Assertio secunda. *Cum SS. Patres & Doctores de supernaturalibus agunt, si sint divisi pluribus stantibus pro una parte, pluribus pro alia, non constituunt sententiam certam* (non enim tunc apparet unde ista oriatur certitudo); *constituunt tamen opinionem probabilem*, (cum qui huic auctoritati nititur prudenter operetur.)

Assertio Tertia. *Cum SS. Patres & Doctores de rebus supernaturalibus loquuntur & sunt concordes in doctrina, nec tamen id, de quo loquuntur, proponunt ut ad Fidem aut mores necessario spectans, ex illorum quidem auctoritate non poterit erui conclusio certa de Fide* (cum nullum tunc adsit motivum dicendi eos loqui cum assistentia Spiritus S.); *poterit tamen colligi conclusio moraliter certa* (cum consensui tot doctissimorum hominum in eadem re nonnisi temere quis possit adversari.)

Assertio quarta. *Cum SS. Patres & Doctores de rebus supernaturalibus loquuntur, & conveniunt omnes in doctrina, eamque proponunt ut ad Fidem aut mores necessario pertinentem, aut cum iis necessario connexam, tunc illorum simul sumptorum auctoritas constituit argumentum certum de Fide.*

Huic assertioni contradicunt præsertim Novatores, contra quos ut procedam.

Noto

Noto quod cum dico Patres omnes convenire in Doctrina duo intelligo, primo quod ii, qui de tali re agunt, sint non pauci, sed multi: secundo quod isti omnes sint concordes, omnes, inquam, non *metaphysice* quasi ne unus quidem dissentiat, sed *moraliter* ita ut, si aliqui dissentiant, ii tam pauci sint respectu consentientium, ut in prudenti hominum existimatione, omnes dicantur consentire.

Noto rursus me dixisse *Patrum simul sumptorum* consensum constituere argumentum certum de Fide; possunt enim Patres considerari &; *singillatim*, quatenus quilibet ut est singularis Doctor dicit, quod sentit; & *collective*, quatenus omnes in eandem sententiam conspirant. Sub posteriori respectu dicuntur in assertione infallibiles. Quod si sub priori tantum considerentur, non est cur dicantur infallibiles: scilicet quamvis, cum per illorum unanimem consensum, vult Deus instruere Ecclesiam, singulos regat, ne fallantur, adeoque singuli vere & a parte rei sint infallibiles, non cognoscimus tamen illorum infallibilitatem nisi cum illorum unanimem consensum videmus. Res hic accidit eo proportionaliter modo, ac in votis Senatorum alicujus Senatus; si enim omnium vota in unum conspirantia considerentur, conspiratio ista est decisiva, cum tamen hæc vota singillatim considerata decisiva non sint. Atque huc fortasse respexerunt Patres, qui se fallibiles dixerunt, ut Hieronymus, qui ait: (a) *Si quid in meo ingeniolo vitii repererint, proferant in medium; aut enim bona erunt, & contradicam eorum columniæ, aut reprehensibilia, & confitebor errorem, malens emendare, quam perseverare in pravitate sententiæ*: & S. Augustinus inquens: (b) *neque quorumlibet disputationes quam Catholicorum, & laudatorum hominum velut Scripturas canonicas habere debemus, ut nobis non liceat salva honorificentia, quæ illis debetur hominibus,*

(a) *Ep.* 199. *ad Cresiphont.*
(b) *Ep.* 148. *ad Fortunatian. al.* 111.

nibus, aliquid in eorum scriptis improbare, atque respuere si forte invenerimus, quod aliter senserint, quam veritas habet divino adjutorio vel ab aliis intellecto, vel a nobis. Talis ego sum in scriptis aliorum, tales esse volo intellectores meorum.

Prob. ergo Assertio ex Scriptura. Patres & Doctores sunt (a) *sal terræ, & lux Mundi:* sunt (b) *positi in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi, ut non simus parvuli fluctuantes & circumferamur omni vento doctrinæ:* illo funguntur munere in Religione nostra, quo fungebantur Scribæ & Pharisæi in Religione Judaica, de quibus dixit Christus (c) *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis servate & facite.* Quibus positis sic. Patres & Doctores sunt a Deo constituti Magistri Ecclesiæ, & ipse jubet, ut fidem illis præstemus. Ergo in allatis circumstantiis constituunt argumentum certum de Fide. Consequentia prob. Et I. si Patres & Doctores constituit Deus Ecclesiæ Magistros, & vult ut illis fidem præstemus, jam ob veracitatem Dei illis debemus assentiri; cum ob hanc veracitatem certi simus, quod non fallantur. Ergo &c. Ita autem nos esse probatur; nam ob hanc veracitatem certi sumus, quod Deus non potest nos decipere. Ergo ob illam certi sumus quod Patres non fallantur; si enim fallerentur, Deus ipse nos deciperet, qui juberet ut nos illis assentiremur cum falluntur; nam ille alterum decipit, qui vult ut alicui fides adhibeatur cum hic fallitur. II. Si argumentum certum de Fide constituunt Patres, constituunt sane, potius quam in alia qualibet, in circumstantiis conclusionis, cum in iis agatur de præcipuo bono Fidelium, nempe de Fide & moribus. Ergo &c.

Prob. ex praxi, quæ semper viguit in Religione nostra, considerandi Patres in allatis circumstantiis in-

(a) *Matt.* 5. (b) *Ephes.* 4. (c) *Matt.* 23.

infallibiles. Testatur S. Athanasius (a) Concilium Nicænum statuisse vocem *homusion*, quia eam a Patribus accepit. In Ephesino (b) Nestorius damnatus est ex relatis Patrum sententiis. In Chalcedonensi (c) Episcopi professi sunt se amplecti regulam SS. Patrum. Idem habetur in Constantinopolitano II. (d) & Nicænum II. decretum de cultu Imaginum his verbis aggreditur: (e) *Sequentes divinitus inspiratum SS. Patrum nostrorum magisterium &c.* Et hinc jure Tridentinum ait: (f) *Sacrosancta Synodus ad coercenda petulantia ingenia decernit, ut nemo suæ prudentiæ innixus in rebus Fidei & morum ad ædificationem doctrinæ Christianæ pertinentium, Sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit & tenet Sancta Mater Ecclesia, aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam Sacram interpretari audeat.*

Prob. tandem ratione; nam ex supra visis Traditiones ad Fidem, aut mores spectantes sunt infallibiles Fidei & morum regulæ. Ergo etiam consensus Sanctorum & Doctorum, in quo vel consistit ipsa Traditio, vel habetur evidens testimonium Traditionis.

Obj. ex Patribus. I. testatur S. Hieronymus Patres in rebus Fidei aliquando minus caute esse locutos; inquit enim: (g) *Antequam Arius nasceretur, innocenter quædam & minus caute locuti sunt*, (Patres) subintellige circa divinitatem Verbi ab Ario impugnatam: *& quæ non possunt perversorum hominum calumniam declinare.*

II. S. Augustinus (h) docet diversam esse rationem Patrum, & Scripturæ; in hac enim nihil potest respui, secus in illis: Patres non habere præcipiendi auctoritatem, secus vero Scriptores sacros

(a) *Ep. ad Afros.* (b) *Act.* I. (c) *Act.* 16. *par.* 3. (d) *Coll.* 8. (e) *Act.* 7. (f) *Sess.* 4. (g) *Apolog.* 2. *contr. Rufin.* (h) *Lib.* II. *contr. Faust. Cap.* 5.

cros. Ergo SS. Patres ab Augustino dicuntur fallibiles; alias ejusdem auctoritatis essent cum Scriptura.

III. Docet Theodoretus Patres, cum in aliquem errorem insurgunt, disputationis æstu in oppositum errorem subinde declinare; inquit enim: (a) *Vehemens cum adversariis contentio fecit, ut modum excederent, quod & iis, qui arbores colunt, evenire solet; cum enim incurvam plantam viderint, non solum ad rectam normam erigunt, sed in alteram quoque partem ultra directum inflectunt, ut per nimiam in contrarium inflexionem ad rectum statum perducatur*. Ergo &c.

℟. ad I. (omisso quod argumentum de iis tantummodo Patribus probat, qui de aliqua re scripserunt ante exortas hæreses circa eandem) Patrum illorum, qui ante exortos errores locuti sunt, si legantur iis attentis regulis, quæ pro Patrum intelligentia communiter traduntur, atque hic etiam mox tradentur, facile posse mentem cognosci, & sententias in recto sensu intelligi. Ergo &c.

Ad II. ℟. stare dictum Augustini cum statuta assertione: nam etiam hac posita valde differt infallibilitas Patrum ab infallibilitate Scripturæ, cum hæc sit infallibilis in omnibus, Patres autem solum in rebus propositis ut spectantibus ad Fidem aut mores, & quidem cum considerantur ut uniti; in aliis enim casibus, ut dictum est, fallibiles sunt, nec habent præcipiendi auctoritatem. Ergo &c.

Ad III. ℟., præterquamquod excessus iste loquendi gratis supponitur in omnibus Patribus, incommodum de quo Tdeodoretus, evitari posse supradictis attentis regulis.

Obj. ex ratione I. Patres, etsi conjunctim sumantur, sunt homines. Ergo fallibiles.

II.

(a) *Dialog*. 3.

II. Si hæc infallibilitas admitteretur, inutiliter admitteretur; cum sensus Patrum non possit agnosci attentis mutilationibus, interpolationibus, aliisque hujusmodi, quibus illorum scripta fuere subjecta. Ergo &c.

℟. ad I. Patres, etsi homines sint, loqui tamen in allatis circumstantiis cum assistentia Spiritus S., ut loquebantur Scriptores Sacrorum Bibliorum, qui quamvis homines ex tali tamen assistentia dicuntur infallibiles. Ergo &c

Ad II. ℟. posse utique cognosci mentem Patrum, si diligenter illorum legitima scripta ab adulterinis & vitiatis secernantur, quod opera & studio Historicorum & Criticorum factum semper est, & etiam modo fit. Adde quod argumentum valeret etiam contra Scripturas, quas Hæretici pluries tentarunt adulterare. Adde tandem quod inverisimile est, Patres omnes circa eandem materiam fuisse adulteratos. Ergo &c.

CAPUT SECUNDUM.

Principaliores Regulæ assignantur pro intelligentia SS. Patrum.

Exhibebo hic 1. regulas ad cognoscendum quandonam Patres in sensu proprio sint locuti, 2. regulas ad cognoscendum quando res proponant ut spectantes ad Fidem, aut ad mores, 3. aliquot alias regulas maxime in hac materia attendendas.

ARTICULUS PRIMUS.

I. Cum Patres crebro asserunt aliquid, tunc proprie non metaphorice loquuntur, si illud æque facile possit propriis, ac metaphoricis locutionibus exprimi. Ratio est, quia cum homines ut plurimum ferantur in ea, quæ magis simplicia sunt, & rerum naturis magis accomodata, cumque locutiones propriæ tales sint, secus metaphoricæ, jam nisi per has melius quam per illas res exprimantur, illas facilius quam has usurpant. Adde quod est inve-

inverisimile Patres tam diuturna & importuna metaphora Lectores fatigare voluisse. Hinc E. G. cum Patres frequentissime asserant a Fidelibus in Eucharistia manducari corpus Christi, illæ locutiones proprie & litteraliter debent intelligi.

II. Cum Patres assertum aliquod probant, satis indicant se illud sumpsisse non in sensu metaphorico, sed proprio; nam nullus laborat in probandis metaphoris, quæ non propter se in oratione adhibentur. Ex hoc colligitur Patres E. G. asserentes Verbum esse Deum id proprie intelligere; cum omni studio conentur id probare.

III. Cum Patres vel dubitant an res ita sit, vel mirantur rem ita esse, tunc rem illam accipiunt in sensu proprio, non metaphorico, cum nemo ordinarie dubitet aut miretur de re intellecta in sensu metaphorico: & ita nunquam Patres mirantur Christum dici leonem, Beniamin lupum rapacem &c., quia istæ locutiones sunt, ut patet, metaphorice intelligendæ At mirantur & quærunt quomodo panis consecratus sit corpus Christi; ergo corpus Christi vere esse in Eucharistia litteraliter docent.

IV. Cum Patres vel historiam narrant, vel mysteria fidei Christianos docent vel familiariter in quocumque alio genere loquuntur, non metaphorice, sed proprie loquuntur; locutio enim metaphorica ab hisce dictionibus est aliena.

V. Cum Patres sermonem coram auditoribus habent a quibus metaphoras intelligi non posse verisimile est, aut periculum, ne quod dicitur metaphorice, proprie intelligatur, tunc proprie loquuntur; alias occasionem errandi auditoribus præberent. Hinc cum doctrinam Catholicam vel rudibus vel Cathecumenis exponunt, vel etiam Ethnicis, qui omnes ad intelligendos sensus metaphoricos impares sunt, proprie loquuntur.

ARTICULUS SECUNDUS.

I. Cum ita sententiam aliquam proponunt, ut assertores contrariæ tanquam hæreticos damnent, tunc satis manifestant Patres se doctrinam tradere pertinentem ad Fidem. Ita E. G. constat Patres do-

doctrinam de venerandis Sanctorum reliquiis ut Fidei dogma tradidisse, quia Vigilantium id negantem ut hæreticum sunt insectati.

II. Cum formulis utantur Fidem vel necessitatem experimentibus, tunc quod proponunt, tanquam vel Fidei dogma, vel præceptum proponunt, ut si his utantur formulis: *credimus*, *confitemur*, *edocti sumus*, *Christus dixit*, *vel jussit*, *Apostoli tradiderunt*, *credit*, *vel jubet Ecclesia*, aut his similibus.

III. Cum a Fidelibus exigunt Fidei professionem de aliqua re, præsertim cum isti ad sacra Mysteria accedunt, tunc rem istam manifeste putant ad Fidem pertinere, non enim solliciti essent de professione Fidei, & præsertim in illis circumstantiis, nisi circa ea, quæ putarent necessario credenda Fide Divina. Hinc cum tradant morem fuisse in antiqua Ecclesia, (huncque morem approbent) ut Sacerdoti præbenti Eucharistiam, & dicenti *Corpus Christi* sumentes responderent *Amen*, quasi dicerent *verum est*, sicque Christi præsentiam in Eucharistia profiterentur; manifestum est eos existimare esse de Fide, quod corpus Christi sit in Eucharistia.

IV. Cum aliquid asserunt in catechesibus & sermonibus ad Neophitos, tunc, nisi contrarium exprimant, satis ostendunt se illud asserere ut Fidei dogma; cum non consueverint Neophitos docere opiniones dumtaxat probabiles, sed ea, quæ necessario ipsis essent credenda.

ARTICULUS TERTIUS.

Præter regulas jam recensitas ad meliorem Patrum intelligentiam hæc etiam sunt observanda.

I. Quando quisque scripserit; sui enim sunt cuique sæculo peculiares ritus, suæ peculiares loquendi formulæ, seu peculiares opiniones, quorum aliqua postea tractu temporis vel mutata sunt, vel in meliorem lucem collocata. Hæc observatio efficiet, ut eos Patres E. G. tanquam Hæreticos non damnemus, qui docuerunt animas Sanctorum plene

purgatas non statim a morte admitti ad visionem Dei; quamvis enim contrarium postea ab Ecclesia definitum sit, nondum tamen ipsorum temporibus fuerat definitum: & sic de aliis similibus.

II. Observanda est scribentis ætas: an scilicet fuerit juvenis, an senex cum scribebat; aliqua enim scripta sunt a Patribus, cum adhuc juvenes essent, quæ postea ab ipsis, provectioribus factis, sunt vel emendata, vel retractata, cujus rei exemplum exhibent S. Augustini Retractationes.

III. Observandum pariter quanam ex causa aut occasione scripserint; cum enim scripserunt de aliqua re nondum ortis de illa erroribus, tunc simplicius & aliquando etiam minus caute locuti sunt, quam post enatos errores illos, ut ex S. Hieronymo supra allato colligitur. Cum autem ex professo contra aliquem errorem locuti sunt, tunc aliquando æstu disputationis abrepti in oppositum errorem declinare sunt visi, ut indicant verba Theodoreti & ipsa supra laudata. Ita E. G. aliquando qui ex professo contra errorem Sabellii negantis distinctionem Personarum in Divinis locuti sunt, videntur abstulisse etiam consubstantialitatem essentiæ. Istis igitur casibus non rigorose illorum verba sunt accipienda.

IV. Observandum pariter quonam genere orationis loquantur Patres; diverso enim subinde modo eædem res exprimuntur in concionibus, ac in familiaribus vel epistolis, vel colloquiis; cum in concione aliquando res hyperbolice dicantur, quæ in familiari locutione magis simpliciter dicerentur. Ita E. G. dum Chrysostomus toties in suis concionibus omnes hortatur ad assiduam Sacræ Scripturæ lectionem, hyperbolice est locutus, non ita ut vellet omnes etiam rudes, etiam mulierculas debere passim vacare lectioni Scripturarum; volebat enim tantum populum avertere a Spectaculis, a Theatris, & a fabulis Poetarum.

V. Quando etiam, attentis omnibus jam expositis, obscurus est sensus alicujus loci ex Patribus, tunc debet explicari per alia loca clariora ejusdem Patris; non enim potest melior illius Interpres re-

peri-

periti, quam ipsemet. Quod si hæc loca clariora in illo non occurrant, explicandus est per alia loca clariora aliorum Patrum; semper enim præsumendum est, quemque ex Patribus cohærenter ad alios esse locutum, nisi sufficienter constet de opposito.

VI. Si quando aliqua SS. Patrum dicta cum recta Fide componi non possint, rejici quidem debent, ita tamen ut salvetur quantum fieri potest reverentia Patribus debita. Hoc exemplo suo, nos docuit S. Augustinus, qui ita de errore superius allato S. Cypriani locutus est: (a) *Reddens debitam reverentiam, dignumque honorem quantum valeo persolvens pacifico Episcopo & glorioso Martyri Cypriano, audeo tamen dicere eum aliter sensisse de Schismaticis vel Hereticis baptizandis, quam postea veritas prodidit.*

VII. Quod si Patres inter se de aliquo articulo non consentiant, major semper pars (cæteris paribus) minori anteponenda est, vetustior recentiori; illi anteponendi, qui majoris sunt in illa materia existimationis, illis, qui sunt minoris. Celebriores autem sunt in aliqua materia, qui de illa uberius & diligentius pertractarunt, ut de consubstantialitate Verbi cum Patre contra Arianos S. Athanasius, *de Gratia & libero Arbitrio,* contra Pelagianos S. Augustinus &c.

DISSERTATIO IV.

De Ecclesia.

Dissertationem hanc in quinque capita dividam. In 1. agam de nomine & notis veræ Ecclesiæ; in 2. de Ecclesiæ membris; in 3. statuam Ecclesiæ definitionem, agamque de illius visi-

(a) *Lib. 6. de Baptis. contr. Donatist. Cap. 2.*

visibilitate & perpetuitate; in 4. de indefectibilitate Ecclesiæ in doctrina; in 5 exponam multiplicitatem sententiarum, quas fert Ecclesia circa doctrinam Fidei & morum.

CAPUT PRIMUM.

De nomine & notis Ecclesiæ.

Explicabo 1. nomen Ecclesiæ, 2. veræ Ecclesiæ notas recensebo, 3. has notas Ecclesiæ Romanæ convenire ostendam, illique soli. Nè miretur quis non exhiberi statim hoc primo Capite definitionem Ecclesiæ, sed eam differri ad caput tertium, cum tamen hæc sit generalis regula, ut qui de aliqua re agunt, a definitione illius incipiant, quo cognoscatur quid illud sit, de quo agitur: ne, inquam, hoc quis miretur; definitio enim Ecclesiæ est controversa, & ab iis dependet, quæ circa notas & membra ipsius sunt statuenda, unde hæc primo afferre necesse est.

ARTICULUS PRIMUS.

Tripliciter sumitur in Scripturis hoc nomen *Ecclesia*: primo *pro loco, ubi solent homines orare* juxta illud (a) *Convocatus est omnis populus, & per totam noctem intra Ecclesiam oraverunt*: secundo *pro quocumque hominum cœtu*, quo sensu nomine Ecclesiæ venit etiam cœtus impiorum juxta illud: (b) *Odivi Ecclesiam malignantium*: tertio *pro cœtu Fidelium tantum*, & hoc modo sumpta Ecclesia dividitur in *militantem*, *triumphantem*, & *purgantem*. Prior comprehendit omnes Fideles viatores modo infra explicando, secunda omnes Fideles comprehensores, tertia animas in Purgatorio degentes. Qui negant Purgatorium, postremum divisionis membrum rejiciunt, sed contra hos alibi.

Mi-

(a) *Judith.* 6. (b) *Psalm.* 25.

Militans autem subdividitur in universalem, & particularem. Illa omnia Ecclesiæ membra comprehendit, hæc aliqua tantum, puta quæ pertinent ad aliquam Civitatem, vel Provinciam, quo sensu dicitur *Ecclesia Gallicana*, *Bononiensis &c.* In sequentibus de sola Ecclesia universali militante agam.

ARTICULUS SECUNDUS.

Notæ Ecclesiæ sunt quidam caracteres, quibus *conjunctim sumptis* vera Ecclesia, *qualis futura erat post disseminatum in mundo Evangelium*, a falsis secernitur. Dixi *qualis futura erat;* cum enim Ecclesia non consideretur qualis fuit ab initio, vel in primo progressu & veluti in infantia, sed qualis futura erat jam facta adulta, hinc considerandæ sunt notæ, quæ illi sic inspectæ conveniunt, non quæ illi in suo initio conveniebant, quales non esse omnes assignandas ultro concedimus, ita tamen ut illi in sui initio aliæ notæ convenirent, puta miracula, visibilis descensus Spiritus S. &c.

Quamvis porro nec ipsi Catholici conveniant in assignandis notis, quæ Ecclesiæ jam constitutæ & adultæ competunt; alii enim plures, alii pauciores assignant; conveniunt tamen omnes in assignandis quatuor tanquam principalioribus, & sunt quæ continentur in Symbolo Constantinopolitano, scilicet ut sit *Una*, *Sancta*, *Catholica*, & *Apostolica*.

Debet igitur primo Ecclesia esse *una* non *multiplex*. Hoc innuunt Scripturæ, ubi Ecclesia dicitur *unum ovile*, *una columba*, *una formosa*, *unum corpus &c.* Ad hanc autem unitatem requiritur concordia in doctrina, in Sacramentis, in subjectione legitimo Capiti tum supremo, idest Christo, tum ministeriali, idest R. Pontifici; si enim membra Ecclesiæ ita non essent unita, jam utpote divisa non constituerent unum corpus. Ubi addit Valentia, Ecclesiam dici *unam* nedum quia Fideles in eandem Fidem & doctrinam consentiunt actu, sed etiam quia modum tenent ad hanc consensionem servandam accomodatissimum. Nam si in sola actuali consensione hæc unitas consisteret, nunquam posset hæc ne-

ta inservire ad cognoscendam veram Ecclesiam; nullus enim est cœtus vel Hæreticorum, vel Infidelium tam exiguus, in quo qui ad eum pertinent, quandiu pertineat, non sint actu in doctrina consentientes.

Debet secundo Ecclesia esse *sancta*, tum quoad doctrinam, tum quoad mores. In hoc autem consistit hæc morum sanctitas: primo ut sanctum sit ipsius caput, secundo ut sancta sint plura illius membra, tertio, ut ex natura sua sit ordinata ad sanctitatem, ita ut qui ad illam vocantur, ad sanctitatem vocentur juxta illud: (a) *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati in conspectu ejus.*

Debet tertio esse *catholica*. Hoc nomen *catholicum* idem sonat ac *universale*. Universalitas autem Ecclesiæ respicit tum *tempus*, ita ut per omnia tempora diffundatur; tum *doctrinam*, ita ut apud omnes Fideles eadem semper sit assignabilis doctrina (quo modo catholicas refertur ad unitatem;) tum *personas*, ita ut omnes homines ad illam vocentur, tum *loca* ita ut ad omnia tandem loca saltem successive occupanda se extendat. Catholicitatem autem quoad hoc posterius caput cognoscere possumus ex mediis ab illa adhibitis, ut ubique diffundatur.

Debet tandem esse *apostolica*, ita scilicet ut ab Apostolis fundata sit, & Apostolorum doctrinam sequatur.

ARTICULUS TERTIUS.

Expositis notis veræ Ecclesiæ, remanet videndum cuinam hominum cœtui hæ conveniant, qui proinde censendus sit vera Ecclesia. Sit ergo.

ASSERTIO. *Hæ notæ Ecclesiæ Romanæ & quidem soli conveniunt.*

Nomine *Ecclesiæ Romanæ* hic non intelligo Fideles particularis Diœcesis Romanæ tantum, sed omnes Fideles, qui cum R. Pontifice consentiunt in doctrina Fidei, illique debitam præstant obedientiam.

Prob. ergo assertio. Ecclesia Romana est *una* & ob consensionem doctrinæ, quæ semper in illa vi-

(a) *Ephes.* I.

viguit, & ob media, quæ semper adhibuit opportunissima ad hanc consensionem servandam; nam nunquam passa est immutari vel unum Fidei articulum, imo potius quam hoc permitteret, Provincias & Regna a sinu suo ejecit: prohibet ne quis proprio marte de rebus Fidei judicet, quod unice fieri vult a supremo Capite, vel in Conciliis generalibus, vel extra definiente. Hac unitate nulla alia secta gaudet; nam si de sectis Hæreticorum loquamur, de quibus major potest esse difficultas, hæ frequentissime Fidem mutant, ut sæpe contigit Lutheranis, & Calvinistis, & media non adhibent opportuna ad illam servandam; cum non agnoscant visibilem Fidei regulam, cui omnes parere debeant, sed quisque permittatur privato judicio interpretari Scripturam, & sibi fingere quod credat.

Ecclesia Romana est *sancta* tum ratione plurium Fidelium, qui sanctitatem profitentur, tum ratione mediorum ad illam obtinendam adhibitorum; proponit enim & commendat exempla Christi, consilia evangelica, abnegationem sui, vitia omnia detestatur, & quantum potest punit; virtutes omnes summo in pretio habet, & quantum potest honorat: quod de nulla alia secta verificatur; quamvis enim in aliquibus aliis sectis quædam identidem virtutum exempla cernantur, rara tamen hæc sunt, nec alibi consideratur ut bonum sequi consilia evangelica, & carnis mortificationem generaliter ostendere.

Ecclesia Romana est *catholica*, quia a Christo ad nos usque duravit, semperque ad finem mundi durabit, cum sit fundata supra illam Petram, de qua dixit Christus: (a) *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ Inferi non prævalebunt adversus eam:* eadem semper in illa viguit doctrina, ut in decursu harum Institutionum fiet manifestum: omnes homines ad se vocat, & ad omnia loca tendit. Sane hanc tendentiam ostendit tum quod in omnibus fere orbis partibus jam

 sint

(a) *Matt.* 16.

sint, qui eam profiteantur, tum quod ipsa maxime sollicita sit de sui diffusione mittendo ad omnes mundi partes Prædicatores, qui Evangelium annunciant. Hanc autem catholicitatem nulli alteri sectæ convenire patet, ex quo nulla alia poterit inveniri, quæ ad multa loca diffundatur, & ita curet sui diffusionem.

Tandem est *apostolica* cum prædicatione Apostolorum & præcipue D. Petri fundata sit, qui etiam in successoribus suis eam gubernat. Patet autem nullam aliam sectam esse apostolicam, quæ detrectat unionem cum successoribus Petri.

Ubi noto quod si etiam probaretur, aliquam ex his notis alteri cœtui præter Romanam Ecclesiam convenire, nunquam tamen probaretur convenire omnes, & idcirco supra dictum est illis *saltem conjunctim sumptis* veram Ecclesiam a falsis discerni.

CAPUT SECUNDUM.

De Membris Ecclesiæ.

CUM *membra* Ecclesiæ dico, illos intelligo, qui sunt de corpore Ecclesiæ; in hac enim distinguere præstat *corpus* & *animam*. *Corpus* sunt omnes partes illam constituentes, *anima* est vitæ & morum sanctitas. Res ita hic procedit ut E G. in Familia religiosa, in Exercitu, in Senatu &c., in his enim potest distingui & corpus & anima. Corpus Religionis constituitur ab iis, qui in ea emiserunt vota solemnia, corpus exercitus ab iis, qui a Principe inter milites sunt acceptati, corpus Senatus ab iis, qui albo Senatorum sunt adscripti. E contra anima Religionis est vita perfecta, anima exercitus est strenuitas & fidelitas propriis Ducibus, anima Senatus est prudentia gubernativa. Unde patet hominem posse ad corpus aliquod ex jam dictis pertinere, quin pertineat ad animam, ut esset Religiosus scandalosus, vilis miles, imprudens Senator: sic a pari in Ecclesia. Membra ergo Ecclesiæ hi sunt, qui sunt de illius corpore.

Cir-

Circa hæc membra Catholici nec conveniunt cum Hæreticis, nec inter se. Cum Hæreticis dissentio est circa prædestinatos, circa peccatores, & circa imperfectos. Nam Wiclephus, & Huss docuerunt esse de Ecclesia omnes, & solos prædestinatos. Pelagiani olim ab Ecclesia excluserunt omnes imperfectos. Novatiani & Donatistæ, quibus adhæserunt Lutherani Confessionis Augustanæ, excluserunt impios.

Inter Catholicos dissensio est circa Cathecumenos, circa excommunicatos, circa hæreticos, & circa schismaticos. Castro, & Suarez contendunt Cathecumenos esse membra Ecclesiæ: id negant Cano, Turrecremata, aliique communius. Suarez pariter contra communiorem docet esse membra Ecclesiæ excommunicatos atque schismaticos. Supra citatus Castro tandem docet contra communissimam esse membra Ecclesiæ etiam hæreticos. Huc potest referri etiam quod docuit Jurius hæreticus proxime elapsi sæculi, qui articulos Fidei dividens in fundamentales, ut esset existentia Dei, divinitas Christi, & non fundamentales, ut esset virginitas Deiparæ, docuit hæreticum non credentem priores esse quidem extra Ecclesiam, secus non credentem posteriores.

Ut igitur recto ordine procedatur, primo contra Hæreticos statuendæ sunt catholicæ sententiæ, deinde inter sententias Catholicorum statuendæ probabiliores. Agam igitur 1. de prædestinatis, 2. de peccatoribus, quo loco, cum probatum erit eos posse esse de Ecclesia, probatum remanebit posse etiam esse imperfectos, 3. de Cathecumenis, 4. de Excommunicatis, 5. de Hæreticis, 6. de Schismaticis.

ARTICULUS PRIMUS.

Assertio prima. *Non omnes prædestinati sunt de Ecclesia.*

Prob. Si prædestinatio faceret hominem de Ecclesia, jam Turcæ, Hebræi, aliique Infideles aliquando ad Fidem convertendi & salvandi, qui tamen hic & nunc de Ecclesia & Fide nihil cogitant,

 es-

essent modo in Ecclesia, quod est absurdum, cum in Ecclesia non possit esse nisi qui in illa vult esse. Præterea in Ecclesia non potest esse nisi baptizatus, cum Baptismus juxta communissimam Patrum sententiam sit janua Ecclesiæ. Ergo &c.

Obj. ex Scripturis. Prædestinati etiam antequam ad Fidem convertantur dicuntur *oves & Filii Dei*: dicitur enim: (a) *alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere*. Rursus (b) dicitur Jesus moriturus *non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum*. Ergo &c.

℟. Oves quæ dicuntur adducendæ ad ovile, eo ipso supponi extra ovile, adeoque extra Ecclesiam; quod idem proportionaliter valet de filiis.

Assertio secunda. *In Ecclesia alii sunt præter prædestinatos*.

Prob. ex Scripturis, quæ docent aliquos de Ecclesia esse damnandos. Ita (c) Ecclesia comparatur areæ, quæ tamen dicitur permundanda, & congregandum triticum in horreum, paleasque comburendas igni. Rursus (d) comparatur sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti, qui tamen si boni sunt, eliguntur in vasis, si mali foras mittuntur. Alibi (e) comparatur convivio nuptiali, ad quod & boni, & mali admissi sunt, & tamen postea conviva inventus sine veste nuptiali projectus est in tenebras exteriores, & ideo concluditur parabola: *Multi sunt vocati, pauci vero electi*. Rursus (f) comparatur (per S. Gregorium) decem Virginibus, quarum quinque exclusæ sunt a nuptiis. Ergo &c.

Prob. ratione. I. si solos prædestinatos comprehenderet Ecclesia, visibilis non esset, cum prædestinatio visibilis non sit, & tamen ex dicendis Ecle-

(a) *Jo.* 10. (b) *Jo.* 11. (c) *Matt.* 5.
(d) *Matt.* 13. (e) *Matt.* 22. (f) *Matt.* 25.

clesia debet esse visibilis. II. nec ab ovibus possent Pastores agnosci, nec a Pastoribus oves, cum incertum esset qui essent veri Pastores, quæ veræ oves. Ergo &c.

Obj. ex Scripturis I. Testatur Apostolus (a) Ecclesiam non constare nisi ex salvandis. *Christus*, inquit, *caput est Ecclesiæ, ipse Salvator corporis ejus .... ut exhiberet ipse gloriosam Ecclesiam*.

II. Perseverantia finalis statuitur necessaria ut simus in Ecclesia; nam dicitur: (b) *Domus* (Christi) *sumus nos, si fiduciam & gloriam spei usque ad finem firmam retineamus*.

III. Qui non sunt prædestinati, licet videantur esse in Ecclesia, in illa tamen non sunt; nam dicitur: (c) *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum*. Ergo &c.

℟. Ad I. Christum esse quidem caput Ecclesiæ, quam salvabit, at istam non salvabit quoad omnia illius membra. Vult autem sibi constituere Ecclesiam gloriosam, primo quia sanguinem fudit, ut omnes Fideles salventur: secundo quia ex Ecclesia militante, quæ tam bonis quam malis constat, sibi aliquos eliget, quibus constituat triumphantem. Noto etiam cum Valentia plures distingui in Ecclesia partes, alteram quæ solos justos prædestinatos, alteram quæ justos etiam non prædestinatos, alteram quæ peccatores comprehendit. Et si quando Scriptura, aut Patres Ecclesiæ tribuunt, quod his tantum convenit, id non ad Ecclesiam totam, sed per synecdochen ad partes præstantiores refertur, ut homo simpliciter dicitur ratiocinari, quia præcipua illius pars ratiocinatur, & Civitas aliqua dicitur simpliciter dives, aut docta, quia præcipui illius Cives sunt vel divites, vel docti. Juxta hoc posset etiam adductæ objectioni responderi, Ecclesiam ibi per synecdochen sumi inadæquate, & pro parte illius prin-

(a) *Ephes.* 5. (b) *Heb.* 3. (c) *Jo.* 2.

principaliore. Et hæc quidem responsio fere omnibus aliis obiectionibus aptari potest.

Ad II. ℟. Primo Apostolum non dicere: *vos estis in domo Dei, si usque in finem perseveraveritis, sed estis domus Dei*. Modo autem non quæritur utrum non prædestinati sint domus Dei, sed utrum sint in domo, idest in Ecclesia. Secundo ℟. Apostolum loqui de habitatione Christi æterna in anima per Gloriam, ita ut sit sensus: *in nobis æterno habitabit Christus, si usque in finem perseveraverimus*. Hunc esse sensum illius dicti probatur ex alio simili, quod habetur eodem capite: *Participes Christi effecti sumus, si tamen initium substantiæ ejus usque in finem firmum retineamus*. Hic nisi adversarii velint quod constitui in Gratia (hoc autem indicatur per illud: *Participes Christi effecti sumus*) dependeat a finali perseverantia, fateri coguntur Apostolum non loqui de Gratia utcumque, sed de Gratia, quæ duratura sit in æternum Ergo a pari superius loquitur de domo, in qua Christus mansurus sit in æternum.

Ad III. ℟. Nomine illorum, qui sunt ex Ecclesia, posse intelligi partem principaliorem juxta supra notata. Vide etiam quæ infra dicentur ad IV. objectionem ex Augustino.

Obj. ex Augustino I. Hic (a) in illud Canticorum 4. *Hortus conclusus, fons signatus &c.*, qui sane de Ecclesia intelligendus est, dicit ea verba de solis electis esse intelligenda: *Illa multitudo spinarum sive occultis sive apertis separationibus forinsecus adjacet super numerum . . . Numerus ergo ille Justorum, qui secundum propositum vocati sunt, de quibus dictum est: Novit Dominus qui sunt ejus, ipse est hortus conclusus, fons signatus &c.*

II. Idem (b) asserit Ecclesiæ fuisse figuram Arcam Noe, in qua non erant nisi salvandi.

III.

(a) *Lib. 5. de Baptism. contr. Donat. Cap. 27.*
(b) *Ibid. Cap. ultim.*

III. Oves Christi (ex talibus autem tantummodo ovibus constat Ecclesia) per S. Doctorem non sunt nisi prædestinati : inquit enim (a) *per oves intelligi eos, quos Dominus per* [redacted] *suam novit* præsc *esse suos*.

IV Tandem S. Doctor expresse docet non prædestinatos, etsi videantur esse in Ecclesia, in illa tamen non esse; dicit enim : (b) *Quidam filii Dei propter susceptam vel temporaliter gratiam dicuntur a nobis, nec sunt tamen Deo, de quibus ait idem Joannes: ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis, hoc est & quando videbantur in nobis, non erant ex nobis: non erant Filii etiam quando erant in professione & nomine Filiorum. Quia ergo non habuerunt perseverantiam, sicuti non vere Discipuli Christi, ita nec vere Filii Dei fuerunt etiam quando esse videbantur, & ita vocabantur*. Et alibi (c) arguit Tychonium, quod Ecclesiam appellasset corpus Christi bipartitum: *Non ita*, inquit, *debuit appellari. non enim revera Domini corpus est, quod cum illo non erit in æternum* Ergo &c.

℟. Ad I. S. Augustinum per verba adducta intelligere Ecclesiam triumphantem Hoc colligo ex simili loco, ubi (d) postquam S. Doctor dixit Ecclesiam *sine ruga & sine macula*, hoc postea ita explicavit: (e) *ubicunque in his libris Ecclesiam commemoravi non habentem maculam aut rugam, non sic accipiendum est, quasi jam sit, sed quæ præparatur, ut sit quando apparebit etiam gloriosa. Nunc enim propter quasdam ignorantias & infirmitates membrorum suorum, habet unde quotidie tota dicat: dimitte nobis debita nostra*. A pari ergo locus objectus de Ecclesia triumphante est intelligendus.

Ad

(a) *Tract.* 45. *in Jo.* (b) *De Correp. & Grat Cap.* 9. (c) *lib.* 3. *de Doctrin Christ. Cap* 32. (d) *ibidem*. (e) *lib.* 2. *Retr act. Cap.* 18

Ad II. ℟. Plures, absque eo quod confugiamus ad objectam, posse assignari similitudines Arcam inter & Ecclesiam; nam ut extra Arcam nullus a diluvio salvatus est, ita nullus æterno salvatur extra Ecclesiam; ut in Arca, munda & immunda animalia continebantur, ita in Ecclesia continentur justi & peccatores. Ergo &c.

Ad III. ℟: Nomen *ovium* esse æquivocum; aliquando enim sumitur pro solis prædestinatis, at aliquando etiam pro omnibus indiscriminatim Fidelibus etsi non predestinatis. Sane cum Petro dixit Christus: (a) *Pasce oves meas*, Fideles suos nedum predestinatos, sed & non predestinatos illi commisit: quomodo enim potuisset hos ab illis discernere? Rursus etsi nomine *ovium* venirent tantum prædestinati, adhuc nihil contra assertionem, præter oves enim sunt in ovili etiam hædi, qui damnandos denotant. Ergo &c.

Ad IV. ℟. Cum Bellarmino aliquem dici posse Filium Dei aut membrum Ecclesiæ dupliciter, idest & *veritate formæ*, & *veritate permanentiæ*. Qui autem non sunt prædestinati, non sunt utique membra Ecclesiæ secundo modo, sed possunt esse primo, de quo non loquitur Augustinus, sed de altero, quem negat reprobis. Ergo &c.

Obj. ex ratione. Omnes partes veri corporis Christi glorificatæ sunt. Ergo etiam omnes partes corporis mystici (scilicet Ecclesiæ) debent glorificari. Qui igitur non debent glorificari, non sunt partes ipsius corporis.

℟. Similitudinem inter partes corporis Christi veri, & partes mystici optime salvari si dicamus, quod sicuti non omnes partes veri corporis sunt glorificatæ (quæ enim per insensibilem transpirationem tempore vitæ mortalis ipsius Christi e suo corpore evolarunt, procul dubio non fuerunt glorificatæ, ab ipso non reassumptæ) sed tantum quæ in corpore Christi fuerunt, cum ipse mortuus est, quo-

(a) *Jo. ultim.*

quæque, ut ita dicam, cum ipso Christo mortuæ sunt, vel ab ipso postea sunt reassumptæ; ita etiam non omnes partes corporis Christi mystici salvabuntur, sed solum quæ vel semper Christo adhæserunt, vel, si quando ab illo divulsæ sunt, illi denuo se univerunt, ita ut cum Christo morerentur, scilicet ut morerentur in Gratia.

ARTICULUS SECUNDUS.

Assertio. *Per hoc præcise quod homo sit peccator, non est extra Ecclesiam.*

Prob. ex Scriptura, & I. ex omnibus iis figuris, quibus supra, ubi de non prædestinatis, dictum est Ecclesiam denotari. II. Corinthi, ad quos scribebat Apostolus, erant in Ecclesia. Inter illos autem erat incœstuosus, ut testatur idem Apostolus (a), quem ipse postea ab Ecclesia ejecit. Antequam ergo ejiceretur, erat in Ecclesia.

Prob. ex Patribus, & I. ex S. Hieronymo, qui ait: (b) *Arca Noe Ecclesiæ typus fuit; Ut in illa omnium animalium genera, ita & in hac universarum & gentium, & morum homines sunt. Ut ibi pardus & hædi, lupus & agni, ita & hic justi & peccatores.* II. ex S. Augustino, qui ait: (c) *Innumerabilia testimonia & de commixtione malorum cum bonis in eadem communione Sacramenti in Canticis Canticorum, quod de Ecclesia sancta dictum est, omnis Christianus agnoscit. Sicut lilium in medio spinarum, ita proxima mea in medio filiarum. Unde appellas spinas nisi propter malignitatem morum?* Rursus infra (d) asserit malos esse præcisos ab Ecclesia *animo, non corpore*. Et alibi (e) notat Ecclesiam dictam esse fuscam juxta illud: *Nigra sum* &c. quia continet peccatores. Tandem (f) ait: *Nos fatemur in Ecclesia catholica & bonos & malos esse, sed tamquam grana & paleas.*

Obj.

(a) 1. *Cor.* 5. (b) *Dialog. contr. Lucif.*
(c) *De unitat. Eccl. Cap.* 14. (d). *Ibid. Cap. ult.*
(e) *lib.* 3. *de Doctr. Christ. Cap.* 32.
(f) *Tract.* 6. *in Jo.*

Obj. ex Scripturis I. De Ecclesia dicitur: (a) *Tota pulchra es Amica mea, & macula non est in te*.

II. De eadem Ecclesia dicitur: (b) *Non adjicet ultra, ut pertranseat per te incircumcisus, & immundus*: & rursus: *Recedite, exite inde, pollutum nolite tangere, exite de medio ejus*. Quibus verbis adductis Apostolus subdit: (c) *& ego recipiam vos*. Hic autem videtur innui nos non recipi in Ecclesia, nisi cum sumus mundi. Rationem supra reddiderat Apostolus inquiens. *Quæ participatio justitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? quæ autem conventio Christi ad Belial?*

III. Ait idem Apostolus: (d) *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est ejus*. Ad Christum ergo & consequenter ad Ecclesiam non pertinent peccatores non habentes Spiritum Christi. Rursus inquit: (e) *unus panis, unum corpus multi sumus*. At panis non conficitur ex paleis, sed ex frumento. Ergo &c.

IV. Impii sunt filii Diaboli juxta illud Christi: (f) *ex patre Diabolo estis*. Non possunt igitur esse filii Dei, & fratres Christi, adeoque de Ecclesia.

V. Tandem dato quod impii dicendi sint de Ecclesia, de illa non erunt, de qua sunt Justi, sicque duæ Ecclesiæ erunt admittendæ. Ita esse probatur, nam Ecclesia Justorum dicitur ædificata supra petram: (g) *Omnis, qui audit verba mea & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram*. Ecclesia autem impiorum dicitur ædificata supra arenam: *Omnis, qui audit verba mea & non facit, similis erit viro stulto, qui ædificavit domum suam supra arenam*. Ergo &c.

℟. ad

(a) *Cantic.* 4. (b) *Isai.* 52. (c) 2. *Cor.* 6. (d) *Rom.* 8. (e) *prima Cor.* 10. (f) *Jo.* 8. (g) *Matt.* 7.

℟. ad I. præter dicta ubi de prædestinatis, Ecclesiam posse dici totam pulchram, immaculatam, sine ruga pluribus modis, scilicet vel quia, est mysticum Christi corpus variis apte distinctum ordinibus, vel denominatione desumpta a parte ejus nobiliore, scilicet a justis, quo modo sane potest dici pulchra, immaculata &c. licet plures in ea sint impii; ut civitas aliqua dicitur docta, si in ea plures sint docti, etsi multo plures sint indocti, vel Regnum aliquod dicitur dives, si in illo plures sint divites, licet multo plures sint pauperes: vel tandem posse dici pulchram ob veritatem doctrinæ & sanctitatem morum, quam commendat & præcipit, licet sanctitas in omnibus ejus membris non sit: ut omittam textum adductum ab aliquibus intelligi de anima justi, ab aliis de Ecclesia triumphante &c.

Ad II. ℟. locum primum Isaiæ litteraliter intelligi de statu Judæorum post solutam captivitatem, mystice autem denotare nunquam futurum, ut infideles & peccatores prævaleant contra Ecclesiam juxta illud (a) *Portæ Inferi non prævalebunt adversùs eam:* locum autem secundum letteraliter intelligi de Judæis, quos Propheta hortatur, ut discedant a Babylone, soluta captivitate, mystice autem de Fidelibus, quos Propheta hortatur, ut non communicent cum infidelibus. Quem sensum expressit Apostolus adducta epistola Fidelibus promittens Deum, si ita agerent, illos recepturos in filios per gratiam suam. Consonat etiam huic explicationi adducta Apostoli ratio: *Quæ participatio justitiæ* &c.

Ad III. ℟. nos posse esse Christi pluribus modis: primo per dominium universale, quod habet super omnes creaturas, secundo per dominium particulare, quod habet super Ecclesiam, & conjunctionem, quam habet cum membris ejus, tertio per conjunctionem mediante charitate & gratia.

(a) *Matt.* 16.

tia. Cum autem Apostolus asserit non habentem spiritum Christi non esse ejus, subintelligendum est *per charitatem*, non ita ut neget illum esse Christi aliis duobus modis. Similitudo porro inter panem, & corpus Ecclesiæ mysticum in hoc consistit, quod sicut ex multis granis fit panis, ita ex multis membris fit Ecclesia. At sicuti aliquando in pane vel ex malitia, vel ex negligentia miscetur cum tritico lolium, ita impii miscentur membris Ecclesiæ.

Ad IV. ℟. negando consequentiam; non enim repugnat filiatio Diaboli cum omni filiatione Dei, sed tantum cum aliqua. Repugnat E. G. cum filiatione per imitationem & exercitium bonorum operum, (quæ filiatio indicatur per illud: (a) *Quicumque spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei*, & per illud: (b) *Benefacite his, qui oderunt vos, ut sitis filii Patris vestri.*) At non repugnat cum filiatione per creationem, quæ filiatio indicatur per illud: (c) *Nunquid non ipse est Pater tuus, qui fecit & creavit te?* A pari ergo non repugnat cum filiatione, quæ importatur per hoc, quod quis sit membrum Ecclesiæ. Quod etiam innuit illud: (d) *Filios enutrivi & exaltavi, ipsi autem spreverunt me.*

Ad V. ℟. adductis locis non duas Ecclesias designari, sed duos status ejusdem Ecclesiæ, quæ, cum sit una ratione Fidei, duas ratione morum continet partes inter se diversas. Illud ergo ædificium, quod ibi describitur, non est ædificium Ecclesiæ, sed est ædificium salutis singulorum membrorum Ecclesiæ.

Obj. ex Patribus I. Chrysostomus (e) verba illa Apostoli; *In magna domo non solum sunt vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia:* vult non de Ecclesia intelligi, sed de mundo; *quia Apostolus in Ecclesia nullum vult esse vas ligneum aut fictile, sed argentea omnia & aurea.*

II.

(a) *Rom.* 8. (b) *Matt.* 5 (c) *Deut.* 32.
(d) *Isai.* 1. (e) *Homil.* 6. *in cap.* 2. 2. *ad Tim.*

II. S. Hieronymus (a) inquit: *Ecclesia Christi gloriosa est, non habens maculam neque rugam, aut quid istiusmodi. Qui ergo peccator est & aliqua sorde maculatus, de Ecclesia Christi non potest appellari.*

III. S. Augustinus de impiis loquens inquit: (b) *Non putandi sunt esse in Christi corpore, quod est Ecclesia, quia Sacramentorum ejus corporaliter participes fiunt...: Ipsi non sunt in illa Ecclesiæ Christi compage, quæ in membris Christi per connexum & contactum crescit in incrementum Dei.*

IV. S. Pacianus (c) ait: *Peccator non est Ecclesiæ macula, quia quandiu peccat, & non pœnitet extra Ecclesiam constitutus est.* Ergo &c.

℟. ad I. mentem Chrysostomi esse, quod Apostolus verba adducta referat ad totum mundum, in quo utpote magna domo necessarium est omne vasorum genus, non ad Ecclesiam, in qua *vult* idest *optat* nullum esse vas ligneum, aut fictile, sed argentea omnia & aurea, cum ex se sit destinata, ut sit sponsa Christi non habens maculam neque rugam.

Ad II. ℟. S. Hieronymum negare, quod peccatores sint de Ecclesia considerata pro ea parte, qua solos justos comprehendit; non vero quod sint de Ecclesia absolute. Dupliciter enim considerari posse Ecclesiam innuit S. Doctor ubi inquit: (d) *Noscendum dupliciter Ecclesiam posse dici: & eam, quæ non habeat maculam aut rugam, & vere corpus Christi sit, & eam, quæ in Christi nomine absque plenis perfectisque virtutibus congregetur.*

Ad III. ℟. (præter responsionem nuper datam Hieronymo, aliasque supra alia occasione traditas, quæ hic quoque adhiberi possunt) S. Doctorem men-

(a) *in Ep. ad Ephes. lib. 2. cap. 5.*
(b) *Lib. 2. contr. Ep. Petiliani cap.* 108.
(c) *Ep. 3. ad Simpronian.*
(d) *in Cap. 1. Ep. ad Galatas.*

mentem suam clarissime exposuisse *in libris Retractationum*, ubi loca ab Ecclesia excludentia peccatores de Ecclesia tantum triumphante intelligi vult. Locum S. Doctoris supra dedi, ubi de prædestinatis. Alium etiam locum juvat afferre ex Breviculo Collationis, (a) ubi dicit loca illa, quibus nunc soli boni, nunc etiam mali in Ecclesa dicuntur comprehendi, sic fuisse a Catholicis conciliata, *ut & illa, quibus commendaretur Ecclesia cum malorum commixtione, hoc tempus ejus significarent, qualis est in præsenti sæculo, & illa testimonia, quibus commendatur non habere commixtos malos, illud ejus tempus significarent, qualis venturo sæculo in æternum futura est.*

Ad IV. ℟. S. Pacianum ab Ecclesia excludere illos tantum, qui propter obstinationem ab eadem Ecclesia per excommunicationem pelluntur. Cæterum non excludere omnes patet ex contextu; dicit enim (b): *Ecclesia est templum Dei, templum amplificum, domus magna habens quidem vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia.... Ecclesia est virgo sancta, virgo verum est, sed & mater.... Magna in filios cura matris istius, & mollis affectus: honorantur boni, castigantur superbi, curantur ægroti.*

Obj. ex ratione. Si impii esse possent de Ecclesia, essent membra Christi. Aliquid igitur Christus in illos influeret; hoc non. Ergo &c.

℟. primo negando subsumptum: influit enim Christus in impios saltem Fidem & Sacramenta: secundo negando priorem consequentiam; possent enim esse membra Christi, quin aliquid in ipsos influeret; membra scilicet arida, non tamen a corpore præcisa.

AR-

(a) *Collat. diei 3. Cap. 9.* (b) *Ibidem.*

ARTICULUS TERTIUS.

ASSERTIO. *Cathecumeni non sunt de Ecclesia.*

Prob. ex Eugenio IV. dicente. (a) *Primum omnium Sarамentorum locum tenet sanctum Baptisma, quod vitæ spiritualis janua est; per ipsum enim membra Chsisti, ac de corpore efficimur Ecclesiæ.* Cathecumeni ergo, qui hanc januam non sunt ingressi, non sunt de Ecclesia.

Prob. ex Patribus. I. Chrysostomus (b) inquit: *Extraneus est cathecumenus a Fideli; neque enim idem ipsum caput habet, non eundem patrem, non eandem civitatem, non escam, non indumentum, non mensam, sed omnia segregata.* Non est ergo membrum Ecclesiæ. II. Augustinus (c) cathecumenos dicit filios nondum natos, quos adhuc in utero gestat Ecclesia. Ergo &c.

Obj. ex Patribus I. extra Ecclesiam nemo salvari potest; hæc enim a Patribus comparatur Arcæ Noeticæ, extra quam nemo salvari potuit a diluvio. Cathecumeni autem possunt salvari, si nempe absque propria culpa decedant sine Baptismo. Ergo non sunt extra Ecclesiam.

II. S. Augustinus cathecumenos in Ecclesia constituit dum ait: (d) *Futuri erant aliqui in Ecclesia excelsioris gratiæ cathecumeni.* Ergo &c.

℟. ad I. extra Ecclesiam quidem tum in re, tum in voto neminem salvari posse. At salvari aliquis potest extra Ecclesiam in re, si tamen in illa sit in voto. Nec obstat adducta paritas de Arca Noe, extra quam nullus salvari poterat, etsi in illa fuisset in voto; nam similitudo non debet necessario esse omnimoda, alias sicuti (e) eidem Arcæ comparatur Baptismus, sequeretur sine Baptismo in re nullum posse salvari, quod nemo dixerit.

Ad

(a) *In Instruct. Armenor.*
(b) *Homil.* 25. *al.* 24. *in Jo.*
(c) *Tract.* 12. *in Jo.* (d) *Tract.* 4. *in Jo.*
(e) 1. *Pet.* 3.

Ad II. ℟. cathecumenos dici in Ecclesia, quia in illa sunt initiative licet non formaliter, ut Novitii sunt in Religione.

Obj. ex ratione I. Magis ad Ecclesiam possunt pertinere cathecumeni, quam peccatores baptizati, cum hi non sint constituti in gratia, illi autem possint esse. Cum igitur tales peccatores ex dictis sint in Ecclesia; a fortiori &c.

II. Cathecumeni, si sint in gratia, sunt Christi membra. Ergo & Ecclesiæ, cum alia membra non habeat Christus, quam membra Ecclesiæ.

℟. Ad I. magis quidem posse pertinere cathecumenos, quam multos Fideles ad animam Ecclesiæ, non autem ad corpus, de quo hic est quæstio.

Ad II. ℟. Cathecumenos in gratia constitutos esse Christi membra solum *late*, scilicet quatenus præcise participant a Christo influxum vitæ spiritualis, non vero *stricte*, quatenus sint de corpore illius mystico, quod est Ecclesia. Sane nulla alia membra stricte talia habet Christus, nisi membra Ecclesiæ, sed alia membra late talia habet, quæ non sunt membra Ecclesiæ, ut sunt animæ beatæ & purgantes, quæ utpote in Gratia constitutæ sunt membra Christi, nec tamen sunt membra Ecclesiæ militantis, de qua hic est sermo. Quod si dicas animas istas eatenus esse Christi membra, quatenus de Ecclesia fuerunt, & ad illam retinent relationem; dicam & ipse, cathecumenos, aliquando futuros in Ecclesia, & ad illam habere relationem ut candidatos & veluti Novitios ipsius Ecclesiæ. In hæc autem membra late talia aliquid influit Christus eo modo proportionaliter, quo in Novitios suos aliquid influit Religio, ut sunt E. G. communicatio privilegiorum, usus habitus religiosi &c.

ARTICULUS QUARTUS.

Excommunicatio proprie talis, est pena ecclesiastica, quæ baptizatum privat communibus Ecclesiæ bonis. Et hæc alia est *major*, alia *minor*. Prima supradictis bonis privat ex toto, altera tantum ex parte.

Dixi

Dixi *excommunicatio proprie talis*; aliæ enim viguerunt olim in Ecclesia excommunicationes minus proprie tales: ut fuit E. G. illa, qua Episcopus jubebatur esse contentus communione Ecclesiæ suæ, interdicebatur scilicet illi communio exterior cum aliis Ecclesiis, quamvis interior non interdiceretur. Erat enim alia excommunicationis species, qua Ecclesia aliqua vel aliquis Episcopus segregabat se quoad exteriorem communionem ab alia Ecclesia vel ab alio Episcopo: ut segregavit se a S. Joanne Chrysostomo S. Epiphanius. Et hæc excommunicatio nullam in ferente illam supponebat jurisdictionem respectu illius, in quem ferebatur, cum prior tamen supponeret. De excommunicatione tantum propria hic loquor, circa quam sit.

Assertio prima. *Excommunicati excommunicatione majore non amplius sunt de Ecclesia.*

Prob. ex Scripturis. Apostolus (a) loquens de excommunicatione majore ferenda in incæstuosum, indicat eam esse separationem ab Ecclesia; dicit enim: *non magis luctum habuistis, ut tollatur de medio vestrum, qui hoc opus fecit.* Ergo &c.

Prob. ex Jure Canonico. Ibi (b) hac formula infligitur excommunicatio: *Ecclesiarum Dei violatores auctoritate Dei & judicio Sancti Spiritus a gremio S. matris Ecclesiæ, & a consortio totius Christianitatis eliminamus*: Et alibi dicitur: (c) *Engeltrudam . . . noveris non solum excommunicatione, qua fraterna societate separat, sed etiam anathemate, quod ab ipso Christi corpore (quod est Ecclesia) recidit, crebro percussam esse.*

Prob. ex Patribus. I. Eusebius (d) refert S. Irenæum Victorem R. P. arguisse *quod non recte fecerit, abscindere a corporis unitate tot & tantas Ecclesias Dei* (subintellige Quartodecimanos, quos Victor vel excommunicaverat, vel minatus fuerat ex-

(a) 1. *Cor.* 5. (b) *Can.* Canonica 11. *q.* 3.
(c) *Can.* Engeltrudam 3. *q.* 4.
(d) *Lib.* 5. *cap.* 24. *Hist.*

excommunicare). II. S. Epiphanius (a) loquens de Marcione, qui, antequam in hæresim incideret, ab Episcopo patre suo fuerat excommunicatus, inquit: *A proprio patre ab Ecclesia ejicitur*. III. S. Augustinus (b) comparans illud Deut. 24. de homine vendente fratrem suum: *Interficietur, & auferes malum de medio tui*, cum illo Apostoli 1. Cor. 5.: *Auferte malum ex vobis ipsis*, ubi fit sermo de excommunicatione ferenda, subjungit: *Hoc nunc agit in Ecclesia excommunicatio, quod agebat tunc interfectio*. Atqui interfectio ejiciebat hominem de populo. Ergo excommunicatio ejicit hominem de Ecclesia. Rursus ex Augustino (c) nulla est pœna major excommunicatione. Ergo hæc ab Ecclesia hominem ejicit, si enim non ejiceret, alia pœna illa major remaneret, nimirum eadem ejectio.

Obj. ex Scripturis. Qui est extra Ecclesiam judicio Ecclesiæ non potest esse subjectus juxta illud Apostoli: (d) *Quid mihi de iis, qui foris sunt, judicare?* Excommunicati sunt judicio Ecclesiæ subjecti. Ergo non sunt extra Ecclesiam.

℟. distinguendo majorem. Qui est extra Ecclesiam per hoc, quod nunquam fuerit ingressus, omitto: qui est extra per hoc, quod fuerit vel vi ejectus, vel sponte egressus, nego. In hunc enim retinet semper jus Ecclesia, ut Princeps in reum, quem è civitate, & Dux in militem, quem ejecit e castris. Nil ergo mirum si potest illum delinquentem punire. Nihil etiam mirum si de illius æterna salute sit sollicita, quæ etiam sollicita est de salute infidelium, nunquam in illam admissorum.

Obj. ex Patribus. S. Augustinus inquit: (e) *Neque enim a populo Dei separamus, quos vel degradando, vel excommunicando ad humiliorem pœnitendi locum redigimus*. Ergo &c.

℟. Lo-

(a) *Heres.* 42. (b) *Quest.* 39. *in Deut.*
(c) *De Corrept. & Grat. Cap.* 15.
(d) 1. *Cor.* 5. (e) *Contr. Donat. post Collat. Cap,* 20.

℟. Lovanienses (a) locum intelligere vel de excommunicatione minore, vel de separatione irreparabili ab Ecclesia. Tournely per populum Dei intelligit non totam Ecclesiam, sed Sanctos, a quorum interiore communione per charitatem & gratiam per se non privat excommunicatio. Verisimilior videtur responsio Bellarmini suspicantis locum esse corruptum, & legendum esse: *neque enim a populo Dei non separamus &c.*; huic enim lectioni optime omnia consonant. Supra S. Doctor ostendit non pollui justos corporali conversatione cum impiis, sed solum consensione in ipsorum facta. Rursus asserit malos in participatione Sacramentorum sæpe esse bonis mixtos; tum subdit: *Nec ideo tamen dormit ecclesiastica disciplina, ut corripiat inquietos:* quod ut probet, affert verba in objectione adducta, quæ sane ut sunt, in objectione ineptum sensum reddunt; aptum vero si addatur negatio. Enimvero his vult Augustinus ostendere severitatem ecclesiasticæ disciplinæ in illos, quos excommunicatione vel degradatione punit. Quomodo autem id ostenderet, si assereret Ecclesiam in illos misericorditer agere a se non expellendo? Hoc sane abs re esset. Rursus infra loquens de casu, quo non expedit Ecclesiæ, ut sic puniat delinquentes, dicit illos tunc non posse *ab Ecclesia separari*: quod indicare videtur illos separari, cum sic puniuntur.

Obj. ex ratione. Excommunicatio, ut fert ipsum nomen, importat, ut quis communione Fidelium privetur. At non ideo ab Ecclesia est præcisus: ut membrum corporis aridum non communicans cum aliis membris, nec influxum a reliquo corpore participans, non ideo a corpore est præcisum. Ergo &c.

℟. Naturam excommunicationis non ex vi nominis, sed ex ecclesiasticis sanctionibus & SS. Patribus esse eruendam. Ex istis autem talis exhibetur idea excommunicationis, ut importet ejectionem ab Ecclesia, quomodo probatum est. Ergo &c.

(a) *In annotat. ad Opera S. Augustini.*

ASSERTIO SECUNDA. *Excommunicatio minor non ejicit hominem de Ecclesia.*

Prob. nam hæc est tantum improprie excommunicatio, & privat tantum perceptione Sacramentorum, non vero aliis bonis spiritualibus, & quæ loca allata sunt ad probandum excommunicationem ejicere hominem de Ecclesia, intelliguntur de excommunicatione majore, quæ sola communiter venit, cum de excommunicatione simpliciter tali fit sermo.

ARTICULUS QUINTUS.

Hæretici sunt qui post Baptismum recedunt a Fide alicujus articuli. Alii sunt *externi*, alii mere *interni*. Rursus tam externi, quam interni possunt esse tum *materiales*, scilicet inculpabiles, tum *formales*, scilicet culpabiles. De Hæreticis proprie talibus, idest formalibus hìc loquor. Circa quos sit

ASSERTIO PRIMA. *Nullus hæreticus externus est de Ecclesia.*

Prob. ex Scriptura. Apostolus generaliter inquit: (a) *Hæreticum hominem post unam & secundam correptionem devita.* Hoc præscribitur Tito, qui erat Episcopus, quique debuisset curam hæretici gerere, si hic esset in Ecclesia. Ergo &c

Prob. ex Conciliis. Lateranense IV. (b) dicit unam esse Ecclesiam universalem ex Fidelibus constantem. Ergo ab ea Hæretici excluduntur.

Prob. ex Patribus. I. Clemens Alexandrinus ait: (c) *Et substantia, & cogitatione, & principio, & excellentia solam esse dicimus, quam etiam antiquam & catholicam Ecclesiam in unitatem unius Fidei.* II. S. Augustinus inquit: (d) *Nihil prodest hæreticis ad salutem, quod extra Ecclesiam verum Baptisma per ignorantiam & tradunt, & tenent.* Ergo &c.

Prob.

(a) *Ad Titum* 3. (b) *Cap.* Firmiter.
(c) *Lib.* 7. *Stromat.* (d) *Contr. Petilian. de unic. Baptism. Cap.* 6.

Prob. ratione I. Fides est primum illud, quod in Ecclesiâ attenditur. Hæretici ergo, utpote in quibus non est Fides, non sunt de Ecclesia. II. Omnes Hæretici externi, eo ipso quod tales sunt, plectuntur majore excommunicatione, ut constat, omissis aliis, ex Bulla Cœnæ. Ergo sunt extra Ecclesiam.

Obj. ex Scripturis I. In agro, de quo Matthæus, (a) simul cum tritico creverunt zizania, quæ etiam prohibita sunt evelli. Per agrum Ecclesiam, per zizania Hæreticos intelligi docent plures Patres, & quidem Hæreticos externos, qui scilicet apparent, ut apparuerunt zizania.

II. Apostolus, postquam de Hæreticis locutus est, subjungit: (b) *In magna autem domo non solum sunt vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia*, quibus denotat Hæreticos esse in magna domo, idest in Ecclesia, & ita hunc locum aliqui Patres exponunt.

III. Idem Apostolus affirmat in Ecclesia Corinthiorum fuisse hæreses dum inquit: (c) *Audio scissuras esse inter vos, & ex parte credo; nam oportet, & hæreses esse*. Hæresis igitur non separat ab Ecclesia.

IV. Qui supposita Fide divinitatis Christi deficit in aliis articulis Fidei, salvus erit. Tales sunt plures Hæretici. Ergo hi salvi fient. Sed qui salvi fient sunt in Ecclesia, cum extra Ecclesiam nullus salvetur. Ergo &c. Prob. Major. Apostolus hæc habet: (d) *Si quis superædificat super fundamentum hoc* (Christum) . . . *ligna, fœnum, stipulam &c. . . . si cujus opus arserit detrimentum patietur; ipse autem salvus erit: sic tamen quasi per ignem*. Sed qui taliter ædificat, est qui supposita Fide divinitatis in aliis deficit. Ergo &c.

℟. Ad I. si verba Christi juxta ipsius tantum mentem considerentur, nihil ex iis colligi contra

 nos:

(a) *Cap.* 13. (b) 2. *Timoth.* 2.
(c) 1. *Cor.* 11. (d) 1. *Cor.* 3.

nos: per agrum enim ipse intelligit mundum, ut constat ex v. 38. Si autem considerentur prout explicantur ab aliquibus Patribus, ℟. ex illis solum inferri Hæreticos aliquando esse in Ecclesia *materialiter*, & ut sic dicam *localiter*, ita scilicet ut ibi sint, ubi vera est Ecclesia, & mixti veris membris Ecclesiæ: sed non proinde sunt vera Christi membra, ut non omnes E. G. qui habitant Monasterium, semper sunt de eodem Monasterio, & qui Civitatem Bononiæ habitant sunt Bononienses. Prohibet autem Dominus agri ne evellantur zizania, cum periculum est ne simul evellatur & triticum, quia scilicet exigit prudens œconomia ecclesiastica, ut non separentur quoad locum Hæretici a Fidelibus, cum periculum est, ne scandala in ipsis Fidelibus oriantur.

Ad II. Præterquamquod dicimus per *magnam domum* plures alios Patres *mundum* intelligere, & alios etiam aliter. ℟. eodem modo occurri posse, quo supra. Et ita etiam ad III.

Ad IV. ℟. Nullum posse adduci ex Patribus, qui locum Apostoli explicet, ut in objectione explicatur. Quomodo autem sit explicandus alibi indicabitur. Interim videantur si placet Expositores, & nominatim Calmet.

Obj. ex Patribus. S. Augustinus (a) postulantibus Donatistis, utrum Baptismus in parte Donati generet filios, respondet generare, non quatenus pars Donati est separata ab Ecclesia, sed quatenus est illa conjuncta. Supponit ergo Donatistas, qui sane erant publici hæretici, esse conjunctos Ecclesiæ. Ergo &c.

℟. S. Augustinum asserere quidem Hæreticos in aliquibus esse conjunctos cum Ecclesia (in aliquibus enim cum Ecclesia conveniunt) sed non ideo asserere eos esse de Ecclesia. Audiatur S. Doctor: (b) *Quicumque credunt quidem, quod Christus*

(a) *Lib. 1. de Baptis. contr. Donat. cap.* 10.
(b) *Lib. de unitat. Eccle. cap.* 4.

stus Jesus . . . . . in carne venerit . . . . . sed tamen ab ejus corpore, quod est Ecclesia, ita dissentiunt, ut eorum communio non sit cum toto quacumque diffunditur, sed in aliqua parte separata inveniatur; manifestum est eos non esse in Catholica Ecclesia. Sed inquies. Si hæretici non sunt de Ecclesia, quomodo per Baptismum generant Christo filios? Nam si Ecclesiæ Hæreticorum generant Christo filios, sunt ipsius sponsæ: si sponsæ; igitur sunt vera Ecclesia. ℟. Generare filios ut ancillas, non ut sponsas. Id docet S. Augustinus inquiens: (a) *Ecclesia omnes per Baptimum parit sive apud se . . . . sive extra se de semine viri sui:* Et supra dixerat: (b) *Ergo ipsa Ecclesia generat & per uterum suum, & per uteros ancillarum ex iisdem Sacramentis tanquam ex viri sui semine.*

Obj. Ex ratione. Hæretici apud se habent vera Sacramenta: Ergo sunt in Ecclesia, cum nonnisi in Ecclesia sint vera Sacramenta.

℟. Vera Sacramenta pertinere quidem ad Ecclesiam, sed tamen, cum in ea aliquando fuerint Hæretici, ab eadem discedentes illa secum asportarunt, ut si transfuga ab exercitu regio secum Regis vexilla asportet.

Assertio secunda. *Heretici etsi tantum interni non sunt de Ecclesia.*

Prob. ex Patribus S. Augustinus inquit: (c) *Tunc quisque infructuosus & nondum a radice præcisus est, cum mala cupiditate agit quidem illa opera, de quibus dictum est: quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. Sed cum pro ipsis operibus etiam veritati apertissimæ, qua redarguitur, resistere cœperit, tunc prædicitur. Et multi tales sunt in Sacramentorum communione cum Ecclesia, & tamen jam non sunt Ecclesia. Alioquin si tunc quisque prædicitur, cum visibiliter ex-*

(a) *Lib.* 1. *de Baptism. contr. Donatist. Cap.* 15.
(b) *Ibid. Cap.* 10. (c) *De unit. Eccl. Cap.* 25

excommunicatur; consequens erit, ut tunc rursus inseratur, cum visibiliter communioni restituitur. Quid ergo si fictus accedat, atque adversus veritatem & Ecclesiam cor inimicissimum gerat, quamvis peragatur in eo illa solemnitas, nunquid reconciliatur, nunquid inseritur? Absit. Sicut ergo jam denuo communicans nondum insertus est; sic & antequam visibiliter excommunicetur, quisquis contra veritatem, qua convincitur & arguitur, inimicum gestat animum, jam recisus est.

Prob. ratione. Fides est veluti forma & essentia Ecclesiæ. Qui ergo Fidem non habent, ut sunt Hæretici etiam occulti, de Ecclesia non sunt.

Obj. ex ratione. I. Si ad constituendum hominem de Ecclesia requireretur Fides interna, Ecclesia non esset sufficienter visibilis, cum tunc ignoraretur quænam essent illius membra, quorum interior Fides non est visibilis.

II. In data hypothesi Episcopus, vel etiam Papa incidentes in hæresim etsi mere internam amitterent propriam dignitatem, cum non possent esse capita illius corporis, cujus membrum non amplius sunt. Cum autem hæc amissio esset occulta, quot perturbationes in Ecclesia orirentur? Ergo &c.

III. Hæretici interni, si postea externe hæresim prodant, excommunicantur: supponitur ergo illos antecedenter fuisse in Ecclesia; cum ridiculum esset excommunicare illum, qui est extra Ecclesiam. Ergo &c.

℟. ad I. quod si valeret adducta ratio, jam nec requireretur verus Baptismus, cum nec cognosci possit quinam sit valide baptizatus. Ut ergo non obstante necessitate veri Baptismi adhuc Ecclesia est visibilis, quia posito ritu externo, Baptismi præsumendum est illum esse validum; ita non obstante necessitate internæ Fidei adhuc Ecclesia erit visibilis, quia ex Fide exteriori eruitur Fides interior, præsertim cum visibilitas Ecclesiæ non importet, ut visibiliter certo demonstrari possint illius membra nisi certitudine morali.

Ad II.

Ad II. ℟. in casu nec Papam, nec Episcopum propriam dignitatem amissuros; licet enim in physicis quod non est membrum, non possit esse caput, hoc tamen in corpore Ecclesiæ mystico non valet. Quod ut intelligatur, supponendum Superiores ecclesiasticos esse Ecclesiæ capita solum ministerialia, idest, cum Christus sit illius supremum caput, alia capita sub se habet, quibus ut ministris utatur in regenda Ecclesia. Ad duo autem reducitur influxus Christi, & consequenter ministerium Superiorum ecclesiasticorum in Ecclesiam, ad interiorem scilicet animarum sanctificationem, & ad exteriorem Fidelium gubernationem. Pro neutro autem ex istis necesse est, ut hi Superiores sint Ecclesiæ membra. Non pro primo; nam Deus sanctificat animas etiam per ministerium infidelium, cum scilicet ipsi valide baptizant. Non pro secundo; quid enim vetat ne jurisdictionem super membra Ecclesiæ suæ illi, qui non est membrum, Deus impertiatur, præcipue cum hic casus sit extraordinarius, & per accidens? Sane Sacerdos excommunicatus vitandus, vel hæreticus publicus in casu extremæ necessitatis valide exercet jurisdictionem absolvendo moribundum: & Episcopus excommunicatus majore excommunicatione, quamdiu hæc est occulta, valide exercet munia episcopalia. Ergo a pari &c.

Ad III. ℟. Excommunicationem, qua Hæretici plectuntur, non esse rigorose ejectionem ab Ecclesia, sed potius declarationem, qua ejecti declarantur. Sane etiam aliquando excommunicantur Hæretici publici, qui tamen antecedenter ex supra probatis non erant in Ecclesia. Ita in Ephesino fuit excommunicatus Nestorius, in Chalcedonensi Eutyches. Ergo a pari &c.

ARTICULUS SEXTUS.

Schisma idem est, ac *dissensio*. Hinc nomine schismatis potest etiam venire hæresis, quæ est dissensio in Fide, sed antonomastice venit dissensio voluntatum. Quamvis porro, quotiescumque hæc

dissensio habetur, habeatur schisma; illud tamen schisma, de quo controvertitur utrum hominem ejiciat ab Ecclesia, reducitur ad hæc duo, ad *subtractionem voluntariam & culpabilem ab obedientia Superiorum ecclesiasticorum, & præcipue* R. *Pontificis*, & ad *subtractionem communionis cum reliquis Ecclesiæ membris in participatione Sacrorum*. Ubi noto cum Valentia, quod subtrahens se ab obedientia R. Pontificis (quod idem aptari potest etiam proportione servata ad subtrahentes se ab aliorum communione) ut sit schismaticus, id debet facere ex inobedientia orta ex rebellione, quæ sit proprie contra officium Pastoris, cui nolit esse subjectus, non autem solum contra præceptum, quod pigeat observare, aut erga personam Superioris, quæ putetur non esse rite assumpta ad talem dignitatem. Schisma autem ita consideratum est fere semper conjunctum cum hæresi, cum difficillimum sit, ut quis ita se separet vel ab obedientia Prælatorum, vel a communione Fidelium absque ullo errore intellectus. Quod si schisma cum hæresi conjunctum sit, certum est tunc separare ab Ecclesia; sicuti etiam certum est non separare, cum est tantum materiale, & ex bona fide, ut contingit aliquando Asiaticis Ecclesiis, quæ a Papa dissidebant in celebratione Paschæ, existimantes se jure id facere: & ut contingit in schismate XIV. sæculi, cum ignorabatur quinam esset verus Papa. Controversia ergo reducitur ad schisma formale, & quidem ab hæresi sejunctum, circa quod sit

Assertio. *Per schisma formale etiam ab heresi sejunctum homo ab Ecclesia separatur*.

Prob. ex sensu Ecclesiæ, quæ in die Parasceves orat Deum, ut ad se revocet Hæreticos, & Schismaticos. Sentit ergo utrosque esse extra Ecclesiam.

Prob. ex Patribus. I. Hieronymus ait. (a) *Inter heresim & schisma hoc esse arbitrantur, quod he-*

(a) *In cap. 3. Ep. ad Titum*.

hæresis perversum dogma habeat: schisma propter episcopalem dissentionem ab Ecclesia separet. II. *parit* S. Augustinus inquit: (a) *Nec hæretici pertinent ad Ecclesiam catholicam, quæ diligit Deum, nec schismatici quoniam diligit proximum.*

Prob. ratione. Schismaticus separat se vel a capite Ecclesiæ, vel a reliquo corpore. Ergo non est amplius in corpore.

Obj. ex Scripturis. Decem Tribus (b) relicto Roboamo adhæserunt Jeroboamo, adeoque schisma conflarunt, quas tamen in eadem permansisse Ecclesia cum subditis Roboami patet ex quo aliqui fuerunt in illis sanctitate conspicui, & ab iisdem Roboami subditis fratres appellantur. Ergo &c.

℟. Schisma Jeroboami fuisse duplex, quoad statum politicum, quod ad rem præsentem non pertinet, & quoad Religionem, de quo in præsenti: scilicet Jeroboam decem Tribus abduxit tum ab obedientia Regis Roboam, tum ab obedienia Dei. Qui Jeroboamo in hoc secundo schismate adhæserunt; non fuerunt amplius in Ecclesia Judaica: non sic qui non adhæserunt, quique cultum veri Dei non reliquerunt. Hi sunt qui fratres a subditis Roboami vocantur, & inter quos aliqui insignes sanctitate viri floruerunt.

Obj. ex Patribus I. S. Basilius expresse docet schismaticos esse in Ecclesia; inquit enim: (c) *Visum est antiquis hæreticorum quidem baptisma penitus rejicere: schismaticorum vero ut adhuc ex Ecclesia existentium admittere.*

II. S. Augustinus inquit: (d) *In quo nobiscum sentiunt, in eo etiam nobiscum sunt, in eo autem a nobis recesserunt, in quo a nobis dissentiunt .... Si ergo qui recessit ab unitate, aliquid aliud agere*

(a) *De Fide & Symb.* Cap. 10. (b) 3. *Reg.* 12.
(c) *Ep. canonic. ad Amphiloch.* (d) *Lib.* I. *de Baptism. contr. Donatis. Cap.* I.

re voluerit, quam quod in unitate percepit, in eo recedit atque disjungitur. Quod autem ita vult agere, sicuti in unitate agitur, ubi hoc accepit & didicit, in eo manet atque conjungitur. Ex Augustino igitur Scismatici, qui a nobis recesserunt, nobiscum sunt, adeoque in Ecclesia pro ea saltem parte, qua nobiscum sentiunt. Ergo &c.

℟. ad I. S. Basilium loco adducto per Schismaticos non illos intelligere, qui separant se, vel a capite vel a reliquis membris Ecclesiæ, sed illos, qui ab aliis in aliquo levi & accidentali dissentiunt, *eos* (en verba S. Doctoris (a) *qui propter aliquas ecclesiasticas causas & medicabiles quæstiones inter se dissident*. Et infra affert exemplum eorum, qui in ritibus pœnitentialibus in Ecclesia olim vigentibus aliter se gerunt, ac consuevit Ecclesia. Cum ergo per Schismaticos illos non intelligat, de quibus in assertione, nihil contra illam.

Ad II. ℟. aliud esse quod Schismatici in aliquibus conjungantur cum Ecclesia, aliud quod sint in Ecclesia. Aliqualem conjunctionem cum Ecclesia ex Augustino non sufficere, ut quis in Ecclesia dicatur, patet ex eodem ubi ait: (b) *Multi tales sunt in Sacramentorum communione cum Ecclesia, & tamen jam non sunt in Ecclesia*. Ergo &c.

Obj. ex ratione. Schismatici, etsi separent se vel a Superioribus ecclesiasticis, vel ab aliis Fidelibus, possunt tamen adhuc velle retinere unionem cum capite Ecclesiæ, quod est Christus. Posita autem ista unione, ad corpus pertinent ipsius Christi, quod est Ecclesia.

℟. illam præcisionem esse impossibilem, cum Christus rejiciat quamcumque unionem cum eo, qui non est unitus cum Prælatis visibilibus Ecclesiæ & cum aliis Fidelibus, unde S. Cyprianus (c) *frustra*, inquit, *sibi*

(a) *Ibidem*. (b) *De unitate Eccles. cap.* 25.
(c) *Ep.* 69. *al.* 66.

sibi blandiri eos, qui pacem cum Sacerdotibus Dei non habentes obrepunt, & latenter apud quosdam communicare se credunt, quando Ecclesia, quæ catholica & una est, scissa non sit neque divisa, sed sit utique connexa & coherentium sibi invicem Sacerdotum glutine copulata.

CAPUT TERTIUM.

Statuitur definitio Ecclesiæ, & agitur de illius visibilitate ac perpetuitate.

STatuam hic 1. definitionem Ecclesiæ: deinde, cum occurrant considerandæ præcipuæ Ecclesiæ proprietates, quæ reducuntur ad *visibilitatem*, *perpetuitatem*, & *indefectibilitatem in doctrina*; agam 2. de visibilitate Ecclesiæ, 3. de illius perpetuitate; acturus sequenti capite de indefectibilitate in doctrina.

ARTICULUS PRIMUS.

Juxta hucusque statuta patet jam quomodo Ecclesia possit definiri. Ita igitur illam definio. Ecclesia est, *cœtus hominum invicem conjunctorum per professionem ejusdem Fidei, per participationem Baptismi, per regimen ejusdem visibilis Capitis, per communionem inter sese.*

Juxta hanc definitionem non includuntur in Ecclesia *omnes prædestinati*, cum de omnibus jam dicta non verificentur, non *soli prædestinati*, cum eadem de solis non verificentur: non excluduntur *omnes peccatores*, cum de illorum pluribus possint omnia adducta verificari. Excluduntur autem *cathecumeni*, *omnesque alii Baptismo carentes*, utpote non participantes Baptismum: *excommunicati*, utpote non communicantes cum aliis Fidelibus: *Hæretici*, utpote non profitentes veram Fidem, & tandem *Schismatici*, utpote subtracti vel ab obedientia Capitis, vel a communione cum aliis membris.

AR-

ARTICULUS SECUNDUS.

Veræ Ecclesiæ visibilitatem negant Novatores: duplicem scilicet ipsi distinguunt Ecclesiam, visibilem unam, in qua malis sunt boni mixti, & hanc dicunt esse falsam; veram autem volunt esse cœtum solummodo justorum, qui cum non possint ab impiis discerni, remanet ut hæc vera Ecclesia sit invisibilis &, ut inquit Calvinus, solius Dei oculis conspicua. Contra hos sit

Assertio. *Vera Christi Ecclesia est visibilis.*

Prob. Ex Scripturis I. Peccator incorrigibilis jubetur deferri ad Ecclesiam utique veram. (a) *Dic Ecclesiæ.* Ineptum autem esset hoc præceptum, si vera Ecclesia non esset visibilis. II. Apostolus ita Præpositos veræ Ecclesiæ alloquitur. (b) *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Quomodo autem possent Ecclesiam regere, quam non nossent?

Prob. ex Patribus I. S. Cyprianus ait: (c) *Ecclesia Domini luce perfusa per orbem totum radios suos porrigit.* II. S. Augustinus (d) *Ecclesia*, inquit, *supra montem constituta abscondi non potest.*

Prob. Ratione I. Necesse est ut omnes uniantur veræ Ecclesiæ sub periculo æternæ damnationis. Sed esset impossibilis hæc unio, si Ecclesia esset invisibilis. Ergo &c. II. Ex supra dictis vera Ecclesia est congregatio hominum viventium iisdem Sacramentis & Fide, & sub regimine legitimorum Pastorum. Hæc autem sunt visibilia. Ergo &c.

Obj. Ex Scripturis I. Ecclesia est Regnum Christi in terris. At regnum hoc est invisibile juxta illud Christi: (e) *Non venit regnum Dei cum observatione, neque dicent: ecce hic, aut illic; ecce enim regnum Dei intra vos est.* Ergo &c.

II.

(a) *Matt.* 18. (b) *Act.* 20.
(c) *Lib. de unit. Eccle.* (d) *Lib.* 3. *contr. ep. Parmenia. Cap.* 5. (e) *Luc.* 17.

II. Cultus, qui debet Deo exhiberi in Ecclesia, est invisibilis juxta illud: (a) *Venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate* Consistit autem hic cultus in Fide, in charitate, in pugna contra Dæmones, quæ omnia, utpote interna, sunt invisibilia: quod etiam innuitur a S. Petro ubi dicit: b) *Ipsi tanquam lapides vivi superædificamini domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerentes spirituales hostias Deo.*

III. Ecclesia dicitur spiritualis; ita in adducto loco D. Petri: ita etiam vocatur ab Apostolo: (c) *Non accessistis ad tractabilem montem & accensibilem ignem . . . sed ad Sion montem, & civitatem Dei viventis Jerusalem cælestem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in Cælis.*

IV. Id etiam innuunt Ecclesiæ figuræ, quæ reperiuntur in Scripturis; comparatur enim salvatis in Arca Noe, qui in illa delituerunt: 7000. viris, qui tempore Eliæ non adoraverunt Baal, qui & ipsi delitescebant: Lunæ, quæ aliquando redditur invisibilis: thesauro abscondito in agro: mulieri fugienti in solitudinem. Ergo &c.

℟. Ad I. regnum, de quo Christus, ab aliquibus intelligi pro gratia, qua regnat in anima justi, litteralius autem intelligi pro regno Messiæ, quod expectabant Judæi putantes ipsum venturum cum magno apparatu, & bello omnes Gentes sibi subjecturum. Christus ergo dicit Messiam ita venire non debuisse, sed potius in tali humili statu, ut vix a Judæis agnosceretur; & illum esse inter ipsos. Ex quo patet, quod, etsi hoc regnum traheretur ad denotandam Ecclesiam Messiæ, ipsa non diceretur invisibilis in sensu adversariorum.

Ad II. ℟. Cultum Deo exhibitum in Ecclesia esse ex parte quidem internum, sed etiam ex parte externum; colitur enim Deus per Sacramenta, per exte-

(a) *Jo.* 4. (b) 1. *Pet.* 2. (c) *Heb.* 12.

exteriorem Fidei professionem &c. Hæc autem sufficiunt ad reddendam Ecclesiam externam & visibilem, ut corpus, quo homo constat, sufficit ad illum reddendum externum & visibilem, licet anima, quæ est altera illius pars, sit invisibilis. Textus Jo. duplex est expositio. Prima est Chrysostomi illud *in spiritu* explicantis pro ritibus oppositis ritibus Judæorum, quatenus hi erant tantum materiales, & illud *in veritate* pro ritibus iisdem Judeorum ritibus oppositis, quatenus hi erant umbra futurorum. Alia est Theophylacti illud *in spiritu* explicantis ut supra, illud autem *in veritate* pro ritibus oppositis ritibus Samaritanorum, qui erant saltem ex parte impii. Alterutra ex his admissis, textus nihil facit contra assertionem. Alio loco hostiæ dicuntur spirituales, vel ut opponantur hostiis materialibus Judæorum, vel ut denotentur mystica sacrificia laudis & bonorum operum, quæ omnes Christiani metaphorice hic dicti Sacerdotes debent offerre, quo modo hæ hostiæ dicuntur spirituales, ut opponantur veræ hostiæ, quæ a solis veris sacerdotibus potest offerri. Ergo &c.

Ad III. ℟. Ecclesiam dici a S. Petro domum spiritualem, quia non est domus materialis ex lapidibus composita, sed mystice ex hominibus: vel etiam quia in illa omnia ordinantur ad spiritualem profectum Fidelium, non quia sit invisibilis. Alio loco Apostolus hortatur Christianos ad bene vivendum, quia non accesserunt ad Ecclesiam Judaicam, quæ legem habuit in monte Sina inter fulgura & fulmina, sed ad Ecclesiam Christi: quo nomine potest intelligi vel Ecclesia triumphans, ad quam Fideles non re, sed Fide & jure accesserunt (& sic non est Ecclesia, de qua hic est sermo;) vel Ecclesia militans, quæ tamen per adducta verba non dicitur invisibilis, sed solum mysticus mons Sion, mystica civitas Dei, mystica Jerusalem, quam protegunt Angeli, in qua primi Apostoli & Martyres floruerunt.

Ad IV. ℟. In rebus istis analogicis non omnimodam, sed aliqualem tantum similitudinem esse exigendam. Dixi jam similitudinem inter Ecclesiam

Dei

Dei & Arcam Noe in hoc sitam esse, quod sicuti nullus nisi in Arca inclusus salvatus est a diluvio, ita nullus æterno salvatur nisi intra Ecclesiam sit vel in re, vel in voto. Ecclesiam figurabant pauci illi, qui ab adorandis Idolis abstinuerunt, quatenus pauci sunt, qui sunt intra Ecclesiam, in comparatione illorum, qui sunt extra. Erat Ecclesiæ figura tum Luna ob vicissitudines pacis & belli, quæ semper in Ecclesia fuerunt & erunt: tum thesaurus absconditus, quia hoc tantum bonum, quod est Ecclesia, licet visibile, non ita tamen est apertum, ut non sit necessaria diligens inquisitio ad illud inveniendum: tum mulier fugiens in solitudinem, quia tempore persecutionis Antichristi fugient Fideles in loca deserta, ut possint Religioni vacare. Independenter ergo ab invisibilitate salvantur adductæ similitudines. Ergo &c.

Ob. ex ratione. Quod est objectum Fidei, non potest esse objectum sensuum externorum. Ecclesia est objectum Fidei. Ergo non sensuum externorum. Ergo &c.

℟. Primo idem posse videri & credi secundum diversos respectus: secundo non esse idem in casu quod videtur, & creditur. Videntur homines, Sacramenta, unio, quam habent inter sese, subjectio legitimo Capiti &c. sed creditur ibidem esse Ecclesiam: quomodo in ipsis Scripturis aliud videmus, aliud credimus: videmus characteres, credimus in illis contineri verbum Dei.

ARTICULUS TERTIUS.

Assertio. *Ecclesia est in duratione indefectibilis sive perpetua.*

Prob. ex Scripturis. I. de Ecclesia hæc prædicuntur. (a) *In diebus regnorum illorum* (Imperii scilicet Romani) *suscitabit Deus Cœli regnum, quod in*

(a) *Daniel.* 2.

in æternum non dissipabitur. II. Promisit Christus se & Spiritum S. futurum semper cum Fidelibus suis. Fideles igitur semper durabunt, semper proinde durabit Ecclesia. En promissio: (a) *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*. (b) *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis*. III. voluit Christus, ut essent Pastores & Rectores in Ecclesia usque ad consummationem sæculi. Voluit ergo, ut semper duraret Ecclesia. Prob. antecedens ex illo: (c) *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores ad consummationem Sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem Fidei & agnitionis Filii Deo*. Ergo &c.

Prob. ex Patribus I. Chrysostomus hæc habet: (d) *Facilius est extingui solem, quam Ecclesiam deleri*. II. Hieronymus: (e) *Intelligimus Ecclesiam usque ad finem mundi concuti quidem persecutionibus, sed nequaquam posse subverti; tentari, non superari. Et hoc fiet, quia Dominus Deus omnipotens, sive Dominus Deus ejus, idest Ecclesiæ, se facturum esse pollicitus est*.

Obj. ex Scripturis I. Dum inquit Christus: (f) *Filius hominis veniens putas inveniet Fidem in terra?* innuit Ecclesiam ante ultimum adventum suum defuturam. Ergo &c.

II. Etiam dato quod Ecclesiæ esset concedenda indefectibilitas, non tamen debet concedi nisi conditionate, scilicet dependenter a duratione Fidei. Constat hoc ex Apostolo, qui loquens de Judæis, quos appellat naturales ramos, ait (g) *Propter incre-*

(a) *Matt. ultim.* (b) *Jo.* 14. (c) *Ephes.* 4.
(d) *Homil.* 4. *in Isa.* (e) *In Cap.* 9. *Amos*.
(f) *Luc.* 18. (g) *Rom.* 11.

credulitatem fracti sunt; tu autem Fide stas: noli altum sapere sed time. Si Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte nec tibi parcat. Vide bonitatem & severitatem Dei: in eos quidem, qui ceciderunt, severitatem, in te autem bonitatem si permanseris in bonitate; alioquin & tu excideris. Quasi diceret: si Judæi, qui erant populus electus, repulsi sunt, a fortiori tu repelleris, qui non es ex populo electo, nisi Fide steteris. Et de facto Synagoga pluries defecit, tum scilicet cum Judæi ad Idola conversi sunt, tum tandem in morte Christi. Quidni igitur aliquando deficiat Ecclesia?

℟. Ad I. vel Christum loqui non de Fide simpliciter, sed de eximia Fide, quæ in paucis modo reperitur, & in paucioribus etiam reperietur tempore Antichristi: vel loqui de Fide absolute, & significare tunc paucos futuros Fideles, non tamen nullos.

Ad II. ℟. Durationem Ecclesiæ dependere quidem a Fide, sed cum nunquam sit Fides defutura, nunquam proinde deficiet Ecclesia. Apostolus autem non loquitur de Ecclesia universali, sed de singularibus ejus membris, & circa illa recte procedit argumentum. Falsum porro est Synagogam defecisse cum Judæi ad Idola conversi sunt; nunquam enim omnes conversi sunt. Nec valet quod aliquando in Scripturis dicatur omnes prævaricatos esse; nam juxta phrasim scripturalem *omnes* dicuntur etiam quando sunt *multi*, licet aliqui debeant excipi. Sic dicitur: (a) *Mortua sunt omnia animantia Ægyptiorum*. (b) *Fluent ad eum omnes Gentes*. (c) *Omnes quæ sua sunt quærunt*: quibus locis *omnes* accipiuntur pro *multis* tantum. Defecit quidem Synagoga in morte Christi. At tunc debebat deficere, cum ex institutione divina esset ordinata, ut pararet viam Messiæ, ipsumque præfiguraret. Quando igitur Messias jam venerat, & opus consum-

(a) *Exod.* 9. (b) *Isai.* 2.
(c) *Philip.* 2.

summaverat redemptionis, Ecclesiamque suam fundaverat, debebant cessare umbræ & figuræ, adeoque ipsa etiam Synagoga.

Obj. ex ratione I. Defecit Ecclesia in morte Christi, cum tunc Apostoli amiserint Fidem.

II. Deficit quotiescumque moritur Papa, sicut ablato in homine capite deficit homo. Ergo &c.

℟. Ad I. Ecclesiam in morte Christi non defecisse. Sane in Maria non defecit Fides, nec etiam defecit in Apostolis, in quibus solum defecit constantia & fortitudo, cum Magistrum dereliquerint. Quamvis autem de ipsius resurrectione dubitaverint, ideo tantum dubitarunt, quia quæ a Christo de eadem resurrectione dicta fuerant, ab ipsis utpote tunc rudibus tantum metaphorice dicta existimabantur. Ut interim omittam non in solis Apostolis tunc Ecclesiam constitisse; plures enim alii jam in Christum crediderant. Ergo &c Rursus etsi daretur quod tunc defecisset Ecclesia, nihil contra assertionem; quia tunc Ecclesia nondum erat formata & perfecta, sed solum delineata & imperfecta.

Ad II. ℟. Vere quidem deficiente capite physico deficere etiam corpus physicum, non sic vero deficiente capite morali deficere morale corpus: ita moriente Rege non deficit regnum. A pari ergo in casu.

CAPUT QUARTUM.

De indefectibilitate Ecclesiæ in doctrina.

EXponam hic 1. diversa genera quæstionum relate ad quæ potest examinari auctoritas Ecclesiæ, & diversos modos, quibus potest hæc auctoritas considerari: 2. statuam assertiones ad eandem auctoritatem spectantes.

ARTICULUS PRIMUS.

De indefectibilitate Ecclesiæ in doctrina acturus, quæ maxime ad præsentem tractatum spectat, utpote quæ est ratio, cur Ecclesia constituat locum theo-

theologicum certum, prænoto quæstiones, relate ad quas potest examinari Ecclesiæ infallibilitas, alias esse *juris*, alias *facti*. Priores sunt, quæ interiori potius judicio mentisque prudentia, quam sensuum testimonio postulant definiri: aliæ quæ potius sensuum testimonio definiuntur, quam interiori mentis judicio, & prudentia. Priores vel pertinent *ad Fidem*, vel *ad mores*, vel *ad disciplinam* (ad ritus scilicet pure ecclesiasticos) vel nec ad Fidem, nec ad mores, nec ad disciplinam. Pertinent ad Fidem E. G. hæc: *utrum Christus sit Deus*: ad mores hæc alia: *utrum licita sit Poligamia*: hæc ad disciplinam: *utrum tempore quadragesimali dicendum sit, Alleluja*. Hæ autem quæstiones, quamvis & ipsæ aliquo modo ad mores pertinere videantur, cum iis quæratur quid agendum sit, quid non, non tamen dicuntur quæstiones morum; cum hoc nomine veniant illæ tantum, quæ versantur circa res necessarias, quæ scilicet non ideo rectæ sunt, quia præcipiuntur, aut pravæ quia prohibentur, sed potius ideo vel præcipiuntur, vel prohibentur, quia vel rectæ sunt, vel vitiosæ; & propterea definitiones harum quæstionum sunt potius declarationes, quam nova præcepta. Quæstiones vero disciplinæ appellantur eæ, quæ versantur circa res contingentes, & de se indifferentes, quæ dependenter tantum a statuto ecclesiastico præceptæ evadunt, vel prohibitæ: unde definitiones harum quæstionum regulariter non sunt declarationes antecedentium præceptorum, sed sunt nova præcepta.

Quæstiones facti aliæ sunt *facti a Deo revelati*, ut sunt facta omnia, quæ in Scripturis narrantur, aliæ *facti non revelati*, ut esset hæc: *utrum Constantinus fuerit baptizatus a S. Silvestro*. Hæ posteriores vel nullam habent connexionem cum jure, vel aliquam habent. Nullam habet mox allata de Constantino. Quæ habent, multipliciter (quantum ad rem nostram attinet) eam possunt habere. Primo quatenus quæstio facti ita involvat quæstionem juris, ut nonnisi hac soluta solvi possit illa. Talis esset hæc: *utrum Nestorius docuerit heresim*; non enim potest statui Nestorium docuisse hæresim (quod spe-

spectat ad factum,) nisi prius statuatur hæreticum esse assesere duas in Christo personas (quod spectat ad jus, quodque revera asseruit Nestorius.) Secundo quatenus quæstio facti possit quidem solvi absque solutione quæstionis juris, sed tamen solutio prioris sit fundamentum solutionis posterioris. Talis esset hæc: *utrum traditio doceat parvulos esse baptizandos;* nam licet possit statui, hoc decuisse traditionem (quod spectat ad factum) etiam non statuto parvulos esse revera baptizandos (quod spectat ad jus;) posito tamen illo facto infertur hoc jus, cum ex traditione inferantur conclusiones spectantes aut ad Fidem, aut ad mores. Tertio quatenus quæstio facti possit solvi absque solutione quæstionis juris, & solutio prioris non sit fundamentum solutionis posterioris, sed prior habeat præcise pro objecto posteriorem. Talis est hæc quæstio: *utrum Nestorius docuerit duas in Christo esse personas*; nam & potest statui factum (quod hoc Nestorius docuerit) absquequo examinetur utrum sint revera nec ne duæ in Christo personæ (quod spectat ad jus,) & solutio hujus quæstionis nullo modo dependet ex eo, quod docuit Nestorius; sed tamen doctrina Nestorii habet pro objecto hoc, quod duæ sint in Christo personæ.

Hæ quæstiones facti habentes connexionem (quæcumque sit ex assignatis) cum quæstionibus juris appellantur *quæstiones facti dogmatici*, si quæstio juris, cum qua connectuntur, sit quæstio dogmatica, ad dogma scilicet Fidei pertinens.

Convenit inter omnes Ecclesiam errare posse primo in quæstionibus juris nec ad Fidem, nec ad mores, nec ad disciplinam spectantibus, *si forte de iis judicium ferret*. (Dixi *si forte de iis judicium ferret;* non enim consuevit Ecclesia his se immiscere) : secundo in quæstionibus spectantibus ad disciplinam, saltem hoc sensu, quod possit aliquid præscribere, quod tractu temporis ex mutatione circumstantiarum minus rectum evadat, adeoque mutationi obnoxium sit: tertio in quæstionibus facti a Deo non revelati nullam habentis connexionem cum in quæstionibus juris : quarto in

quæ-

quæstionibus morum particularibus, scilicet ad particulares casus spectantibus, cujus rei exemplum affert Melchior Cano (a) *Cum quis*, inquiens, *occulte una uxore habita alteram ducit publicè, jubet illi Ecclesia, ut priore relicta, posteriorem accipiat, qua in re sine dubio fallitur*.

Examen ergò reducitur ad quæstiones juris, vel ad Fidem vel ad mores generaliter pertinentes, ad quæstiones facti revelati a Deo, ad quæstiones facti non revelati quidem a Deo, sed tamen dogmatici (de facto externo loquor, de internis enim non judicat Ecclesia) in quibus definiendis videndum, utrum Ecclesia sit infallibilis.

Duplex autem potest in Ecclesia considerari infallibilitas, una *activa*, altera *passiva*. Prima consistit in hoc, quod non possit docere falsa: secunda in hoc, quod non possit falsa credere. Ex his duabus infallibilitatibus quamvis inter se, ut patet, distinctis, altera tamen ex altera infertur; cum enim in Ecclesia non credatur nisi quod in ipsa docetur, & quod in ipsa docetur credatur, manifestum ex infallibilitate activa sequi passivam, & è contra. Hinc est, quod in probationibus assertionum mox statuendarum ea argumenta promiscue adhibebo, quæ ad adstruendam utramque infallibilitatem sunt opportuna.

ARTICULUS SECUNDUS.

Assertio prima. *Gaudet Ecclesia aliqua infallibilitate in definitionibus suis*.

Prob. ex Scripturis I. Promittitur Ecclesiæ futurum, ut non recedant verba Dei de ore ejus. Promittitur ergo aliqua infallibilitas. En promissio: (b) *Cum venerit Sion Redemptor, hoc fœdus meum cum eis dicit Dominus: Spiritus meus, qui est in te, & verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui amodo, & usque in sempiternum*. II. Si Ecclesia semper errare

rare

(a) *De auctor. Concil. lib.* 5. *cap.* 5. (b) *Isaj.* 59.

rare posset in definitionibus suis, possent portæ inferi prævalere adversus eam; hoc est impossibile, cum dicat Christus: (a) *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam*. Ergo &c. III. Aliquam habet infallibilitatem quæ habet assistentiam Christi & Spiritus S.: hanc habet Ecclesia; nam dicit Christus: (b) *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*, & (c) *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis*. Ergo &c. IV. Aliquam habet infallibilitatem quæ est columna & firmamentum veritatis: talis est Ecclesia ex Apostolo dicente (d) *Ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi columna, & firmamentum veritatis*. Ergo &c.

Prob. ex Patribus I. S. Hieronymus inquit: (e) *Poteram omnes propositionem* (erronearum) *rivulos uno Ecclesiæ sole siccare*. Si Ecclesiæ sole, idest judicio, omnes propositionum erronearum sensus siccari possunt, idest confutari, judicium sane Ecclesiæ agnoscitur infallibile; eo enim casu, quo Ecclesia deciperetur, non tollerentur per ejus judicium errores. II. S. Augustinus (f) *Scripturarum*, inquit, *a nobis tenetur veritas, cum hoc facimus, quod universæ jam placuit Ecclesiæ, quam ipsarum Scripturarum commendat auctoritas, ut quoniam sancta Scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit hujus obscuritate quæstionis, eandem Ecclesiam de illa consulat, quam sine ulla ambiguitate sancta Scriptura demonstrat*. Si autem nullam infallibilit-em in Ecclesia agnosceret Augustinus, non posset absolute asserere nos tenere actoritatem Scripturarum cum id facimus, quod placet Ecclesiæ. Et alibi (g) *Quid*, inquit, *contra ista sentiat Ecclesia catholica superfluo quæritur, cum propter hoc*

(a) *Matt.* 16. (b) *Matt. ultim.* (c) *Jo.* 14.
(d) 1. *Timot.* 3. (e) *Dialog. contr. Lucifer.*
(f) *Lib.* 1. *contr. Crescon. Cap.* 33.
(g) *Lib. de Heresib.*

hoc scire sufficiat eam contra ista sentire. Si Ecclesiæ judicium non agnosceret Augustinus infallibile, hoc non doceret; non enim tunc sufficeret cognoscere Ecclesiam contra aliquam opinionem sentire, sed præterea quærendum esset, utrum rationabiliter sentiret. Ergo &c.

Obj. ex Scripturis. Si aliqua esset infallibilitas Ecclesiæ concedenda, hæc maxime esset in Pastoribus ipsius Ecclesiæ. In illis non potest esse; nam omnes possunt errare, ut contigit Pastoribus Israel, de quibus dicitur: (a) *Speculatores ejus cæci omnes, nescierunt universi: canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes, & amantes somnia*. Ergo &c.

℟. quod, *si Pastores Israel fuissent omnes fallibiles*, ideo fuissent quia eis non fuisset promissa infallibilitas, quæ ex probatis promissa est nostris. Nisi dicere velimus locum objectum posse etiam transferri ad nostros non quidem conjunctim, sed singillatim sumptos proportionaliter ad dicta, ubi de auctoritate SS. Patrum. Dixi *Si Pastores, Israel fuissent omnes fallibiles;* revera enim omnes simul sumptos, & maxime cum Summo Sacerdote, in rebus ad Religionem spectantibus fuisse infallibiles colligitur tum ex illo Dei: (b) *Pones in rationali judicii doctrinam & veritatem, quæ erunt in pectore Aaron:* tum ex promissione, quam fecit Deus Hebræis (c) ut, si quæsissent Sacerdotum judicium, invenissent veritatem: tum ex quo si omnes hi Pastores in rebus ad Religionem spectantibus errassent, tota errasset vera Ecclesia, qualis erat ante Christum Judaica, quæ illorum sententiam in his sequi debebat. Locus ergo objectus explicari debet non de omnibus Pastoribus antiquis, sed de magna illorum parte, quæ, ut supra dixi, frequenter in Scripturis per universalitatem designatur.

(a) *Isai.* 56. (b) *Exod.* 28. (c) *Deut.* 17.

Obj. ex ratione I. Nulla est data Ecclesiæ infallibilitas, si nunquam possit illius sensus dignosci; alias frustranea esset hæc infallibilitas. Ita est. Ergo &c. Prob. minor. Ad dignoscendum sensum Ecclesiæ consulendi essent omnes Pastores. Hoc autem est impossibile, cum impossibile sit, ut consulantur qui sunt in tota Europa, in tota Asia, Africa, & America. Ergo &c.

II. Nunquam Ecclesia aliquid definit, nisi præmittendo magnam diligentiam & studium. Ipsa ergo non agnoscit se infallibilem; alias ad quid tanta diligentia? Ergo &c.

℟. ad I. Pastorum sententias cognosci posse ex historiis, epistolis, aliisque hujusmodi. Præterquamquod Ecclesia Romana, ad quam utpote aliarum matrem & magistram causæ omnes vel ad Fidem, vel ad mores spectantes referuntur, docere potest quinam sit particularium Pastorum sensus: eo vel maxime quod universalem Ecclesiæ sensum non constituit unanimitas Pastorum physica, sed moralis, ita nempe quod tam multi sint, qui in aliquo articulo conveniunt, ut in prudenti hominum æstimatione omnes dicantur consentire. Addo istam inquistionem fieri non debere a singulis Fidelibus; sed ab ipsis Pastoribus. Addo tandem non ita constitui facilem modum consulendi Ecclesiam per orbem dispersam, ut fatendum non sit valde facilius esse ipsam consulere in Concilio adunatam, vel etiam consulere ipsum immediate R. Pontificem, qui, ut infra videbitur, & ipse potest sensum Ecclesiæ per se aperire.

Ad II. ℟. stare hanc diligentiam cum Ecclesiæ infallibilitate; primo quia hanc adhibet Ecclesia, ut non tam imperio, quam ratione adducere videatur contumaces ad Fidem; secundo quia hæc non facit novos Fidei articulos, sed qui erant, & tamen non cognoscebantur, facit ut cognoscantur; scilicet Ecclesia nunquam declarat aliquid de Fide credendum, quod non sit vel per Scripturas, vel per Traditiones revelatum: sed quod tale erat, nondum tamen sufficienter tale cognoscebatur, Ecclesia revelatum declarat. Oportet

ret ergo, ut perpendat num hoc vel illud revelatum sit. Non sequitur porro Ecclesiam divina assistentia esse destitutam, quæ humanis diligentiis utitur in definiendo; infallibilitas enim Ecclesiæ promissa, est illi promissa non temere judicanti, quamvis temeritatem hanc teneatur Deus ab Ecclesia avertere, ut certi simus de veritate definitionum illius.

Assertio secunda. *Supradicta infallibilitate gaudet Ecclesia in quæstionibus juris spectantibus ad Fidem, & in quæstionibus generalibus spectantibus ad mores.*

Prob. I. Nam Deus hanc infallibilitatem dedit Ecclesiæ procul dubio in bonum ipsius spirituale. Hoc autem primario exigit, ut doceat & teneat rectam Fidem, quæ est omnis boni spiritualis fundamentum, ac ut præscribat rectas generales regulas morum. Ergo &c.

Prob. II. Judex a Deo constitutos pro quæstionibus Fidei, & morum debet in iis definiendis esse infallibilis, cum illius definitionibus debeant Fideles præbere assensum Fidei, cui non potest subesse falsum. Talis autem Judex est Ecclesia. Ergo &c. Prob. minor. Debet aliquis reperiri visibilis Judex pro his quæstionibus; si enim solæ adessent mortuæ regulæ Scripturarum, Traditionum &c. nunquam finirentur lites, nunquam damnarentur hæreses, & hæretici, nunquam catholica dogmata definirentur, ut si solæ adessent leges scriptæ, consuetudines &c. in Republica, nec esset vivus Judex, qui juxta leges ferret sententiam, nunquam lites in eadem Republica finirentur. Hic autem Judex alius esse nequit nisi Ecclesia; nam nequit esse Scriptura, ut suo loco probatum est, ubi etiam dictum est Scripturam esse tantum normam, (& quidem nec in omnibus,) juxta quam ferendum est judicium: non Traditio ob easdem proportionaliter rationes: non spiritus privatus ob rationes, quibus supra probatum est non posse hunc inservire ad explicandas Scripturas: non Princeps sæcularis, utpote cujus potestas ad supernaturalia non extenditur. Remanet ergo ut sit Ecclesia ipsa. Et

de facto judiciariam hanc potestatem semper agnoverunt, & venerati sunt Fideles; qui definita aliqua controversia ab Ecclesia statim illi acquieverunt: & ita cum damnatæ sunt hæreses, vel aliqua dogmata definita ab Ecclesia in Conciliis congregata, vel aliter; his definitionibus vel damnationibus sic adhæserunt Fideles, ut qui contra sentirent pro Hæreticis haberentur, quomodo historias ecclesiasticas legenti fit manifestum.

Obj. I. Aliquando Ecclesia tota in rebus Fidei erravit; nam tempore Concilii Ariminensis in Arianam hæresim lapsa est, ut testatur S. Hieronymus (a) asserens *ingemuisse orbem, & miratum se Arianum esse*.

II. Aliquando erravit in præscribendis regulis morum; nam aliquando erravit in approbatione Ordinum Religiosorum, quos postea necesse fuit extinguere. Aliquando etiam erravit in canonizatione Sanctorum juxta illud Augustini; *Multorum corpore honorantur in terris, quorum animæ torquentur in gehenna*; Ergo &c.

℟. Ad I. falsum esse tempore Concilii Ariminensis Ecclesiam totam in Arianam hæresim lapsam esse. Patres quidem Ariminenses formulæ subsrcipserunt æquivocæ, quæ pati poterat sensum catholicum, & in hoc subscripserunt. Sed pati etiam poterat sensum Arianum, & in hoc sensu perperam Ariani jactabant Patres subscripsisse; unde S. Hieronymus emphatice loquens asseruit *ingemuisse orbem &c.* Addo plures alios extra Concilium non subscripsisse, & nominatim R. Pontifices, qui Ariminense reprobarnnt. Sed hoc alibi.

Ad II. ℟. Duo in approbatione Ordinum Religiosorum spectari posse: unum est declaratio, quod hoc vitæ genus in se consideratum sit laudabile, aliud declaratio quod hic & nunc expediat homines tale vitæ genus amplecti. Hæc duo esse inter se diversa patet exemplo. Aliud est enim asserere cor-

(a) *In Dialog. cont. Luciferian.*

corporales austeritates esse in se ipsis laudabiles; aliud laudabile esse hunc vel illum hominem, spectatis particularibus circumstantiis, has austeritates exercere. Prius spectat ad principia generalia morum, & in hoc Ecclesia non potest errare alterum non spectat, unde nihil ad nos etsi in illo errare posset. Addo Ecclesiam de facto nunquam errasse; cum enim Religiosos Ordines approbavit, rationabiliter approbavit. Quod si aliquando necesse fuit ipsos extinguere, id non est factum ex quo non fuerint laudabiliter instituti, sed vel ex quo a primæva laudabili institutione deflexerunt, vel ex quo mutatis circumstantiis melius evasit, ut illi Ordines non essent, quam ut essent. Ad aliud ℟. Ecclesiam nunquam errasse, nec errare posse in canonizatione Sanctorum, alias toti Ecclesiæ præscriberet cultum falsum. Nec obstat S. Augustinus; præterquamquod enim locus adductus videtur Bellarmino suppositius, cum ipse nunquam potuerit illum invenire, potest etiam commode explicari vel de corporibus impiorum, quæ magnificis sepulchris condita sunt, vel de iisdem corporibus fraude suppositis corporibus justorum, vel tandem de honore his corporibus præstito ab aliqua Ecclesia particulari, quæ utique fallibilis est.

Assertio tertia. *Ecclesia est etiam infallibilis in quæstionibus facti a Deo revelati.*

Prob. Nam cum hæc facta ad Fidem pertineant, non potest esse Ecclesia infallibilis in rebus Fidei, quin sit etiam infallibilis in his factis.

Assertio quarta. *Est etiam infallibilis Ecclesia in quæstionibus facti non a Deo revelati, sed tamen dogmatici.*

Prob. Nam si connexio facti cum jure habetur primo modo ex supra recensitis, Ecclesia errando in facto erraret etiam in jure. Supponamus enim Ecclesiam errare in hac quæstione: *utrum Nestorius fuerit Hæreticus*, errare inquam & docere ipsum non fuisse Hæreticum. Cum certum sit ipsum Nestorium docuisse duas in Christo esse personas, jam assereret Ecclesia non esse hæreticam hanc propositionem: *duæ in Christo sunt personæ*

Sic autem erraret in quæstione juris ad Fidem pertinente, quod ex dictis est impossibile.

Hoc idem dic, si connexio quæstionis facti cum quæstione juris habeatur secundo modo; nam, cum solutio quæstionis facti ex ordinatione Dei est fundamentum pro solutione quæstionis juris, Ecclesia errando in facto erraret etiam in jure, quod proponeret ut deductum ex fundamento falso. Et sane cum Deus voluit, ut factum aliquod inserviret Ecclesiæ tanquam fundamentum pro solutione quæstionis juris, statuit illud factum ut antecedens, ex quo Ecclesia crueret tanquam consequens illud jus. Veritatem ergo hujus juris in casu statuit dependentem a veritate illius facti: consequenter si Ecclesiam noluit errare in tali jure, noluit etiam errare in tali de facto; alias voluisset, ut veritas dependeret ab errore. Rursus si Ecclesia erraret in tali facto, vel erraret acceptando fundamentum falsum ut verum, vel respuendo verum ut falsum, utroque modo erraret in jure; nam primo modo proponeret ut dogma, quod tale non est: secundo modo rejiceret a ratione dogmatis quod tale est. Ergo &c.

In quæstionibus autem facti præcise habentibus pro objecto quæstiones juris Ecclesiam esse infallibilem probatur; nam hoc exigit potestas gubernativa Ecclesiæ in suos Fideles, qua Deus illam insignivit, ut, cum agitur de rebus Fidei & morum, nedum certo cognoscat sanam doctrinam, sed etiam certo cognoscat qui sanam doctrinam tradant, qui erroneam, ut possit prioribus Fidelium directionem permittere, alios ab illa arcere & punire: quod nisi gaudeat infallibilitate judicii, de qua in præsenti, præstare non potest. Et de facto Ecclesia semper voluit ut Fideles hanc infallibilitatem agnoscerent & faterentur. Ita in Nicæno I. nedum exegit, ut diceretur anathema in genere negantibus divinitatem Verbi, sed etiam determinate Ario ut assertori hujus erroris, quod importat ipsam voluisse, ut Fideles persuasum haberent se recte judicasse, quod Arius docuerit Verbum non esse Deum: hoc idem voluit in Ephesino respectu Nestorii, qui

do-

docuerat in Christo duas esse personas: hoc idem nostris temporibus voluit respectu librorum Jansenii continentium hæreticas propositiones &c.

CAPUT QUINTUM.

Exponitur multiplicitas sententiarum, quas fert Ecclesia circa doctrinam Fidei, aut morum.

AFferam hic 1. quæ generaliter spectant ad has sententias, 2. de illis censurarum specibus agam, quibus Ecclesia propositiones damnabiles ferire solet.

ARTICULUS PRIMUS.

Judicium, quod exercet Ecclesia circa doctrinam vel ad Fidem, vel ad mores spectantem, dicitur *Judicium dogmaticum*. Hoc autem exercet vel illam approbando, vel reprobando. De approbatione nihil occurrit speciali nota dignum. Reprobatio multiplex est, scilicet cum Ecclesia propositionem aliquam reprobat, non semper eandem illi censuram inurit, sed modo unam, modo alteram pro varia propositionum, de quibus agitur, conditione.

Dictum est dogmaticum Ecclesiæ judicium versari circa doctrinam aut ad Fidem, aut ad mores spectantem, ut hac formula comprehenderentur non solum doctrinæ, quæ immediate aut ad Fidem pertinent, aut ad mores, sed etiam quæ cum his doctrinis connexionem habent.

Quo loco distinguendum est *dogmaticum Ecclesiæ judicium a lege disciplinæ* (quæ est decretum spectans ad disciplinam tantum, ut E. G. quod Latini consecrent in azymo, Græci in fermentato.) Discrimen porro in his præcipue consistit: primo quod judicium dogmaticum captivet intellectum, & auferat libertatem aliter sentiendi, lex autem disciplinæ solum referatur ad praxim & ad exterio-

res actiones, relinquatque libertatem sentiendi in oppositum: secundo quod judicium dogmaticum non mutatur, sed est irreformabile, lex vero disciplinæ mutatur pro mutatione circumstantiarum, tertio quod judicium dogmaticum omnes Fideles æque ac semper obliget, lex vero disciplinæ non semper omnes obliget, sed aliquando eas solum regiones, quarum usibus est accommodata, vel pro quibus est lata: quarto quod judicium dogmaticum fundatur in regulis Fidei, lex autem disciplinæ potius in regulis prudentiæ. Ex quibus patet idem non esse damnationem propositionis, & præcisam prohibitionem illa utendi; prima enim est judicium dogmaticum respiciens sensum propositionis, quæ falsa declaratur: secunda est lex disciplinæ, quæ non respicit sensum propositionis, & per quam ipsa propositio non declaratur falsa, sed respicit tantum illius usum, qui interdicitur. Potest ergo interdici etiam usus propositionis veræ, si E. G. ex ea occasionem quis accipiat errandi, vel sit seminarium litium &c., at nunquam potest aliqua propositio vera damnari.

Propositiones autem, quæ damnantur, dupliciter damnari possunt, nimirum vel in se ipsis & independenter a sensu proferentis, vel relative ad sensum, quo ab auctore proferuntur. Alexander VIII. E. G. & Innocentius XI. damnarunt plures propositiones in se ipsis consideratas nulla habita ratione auctorum illas asserentium: Leo X. è contrario damnavit propositiones Lutheri, Clemens XI. propositiones Quesnelli respective ad mentem illorum auctorum. Cum propositiones, damnantur absolute & in se, tunc damnantur in sensu obvio, quem verba præseferunt: cum vero damnantur relative ad mentem auctorum, tunc damnantur in sensu, quem intendit auctor, qui non semper est sensus obvius; quo fit, ut aliqua propositio possit esse vera in se, & tamen damnata in sensu ab auctore intento. Ita damnatus est hic articulus Joannis Huss in Concilio Constantiensi: *Duæ naturæ Divinitas & Humanitas sunt unus Christus*, qui articulus in se consideratus nullum errorem continet, cum potius diserte adstruat in Christo duas naturas, & unam

per-

personam, erat tamen falsus in sensu intento a Joanne Huss, qui erat vel Christum esse mixturam utriusque naturæ juxta errorem Eutychianum, vel utramque naturam singillatim sumptam esse Christum. Consuevit tamen Ecclesia, etiam cum duplex est sensus propositionis unus verus, alter falsus, absolute propositionem damnare, tuncque sensus falsus quærendus est ex circumstantiis.

ARTICULUS SECUNDUS.

Præcipuæ censurarum species, quibus Ecclesia propositiones damnabiles ferire solet, hæ sunt.

Aliquando propositiones damnantur ut *hæreticæ*. & tunc est, cum directe & immediate opponuntur doctrinæ a Deo revelatæ & per Ecclesiam propositæ tanquam de Fide, ut esset ista: *Christus non est Deus*. Oppositio autem, de qua hic & in sequentibus, est oppositio vel contraria, vel contradictoria.

Aliquando damnantur ut *hæresi proximæ*, cum scilicet valde ad hæreticas accedunt, vel cum major & sanior pars Theologorum judicat esse hæreticas, paucis contra sentientibus ac levibus ductis rationibus

Aliquando damnantur ut *hæresim sapientes*, vel *de hæresi suspectæ*, & est cum duplicem habent sensum, catholicum unum, alterum hæreticum, sed ex circumstantiis prudens adest suspicio illas potius in hæretico, quam in catholico sensu fuisse prolatas. Sic inquit Melchior Canus (a) hæc propositio: *Pater major me est* (Christo scilicet,) quæ sensum sane catholicum pati potest, prolata ab Arianis hæresim sapiebat, cum ex circumstantiis prudens oriretur suspicio, nè in pravum sensum ab illis adhiberetur. Cardinalis de Lugo distinctionem ponit inter propositionem *hæresim sapientem*, & *de hæresi suspectam*, quod prior sufficiens præbeat fundamen-

 tum

(a) *Lib.* 12. *de loc. Theolog. Cap.* 11.

tum judicandi, altera dumtaxat suspicandi auctorem illam in sensu hæretico protulisse.

Aliquando damnantur ut *erroneæ*, & est cum opponuntur conclusioni deductæ ex una præmissa de Fide, & altera naturaliter nota, ut esset hæc propositio: *Christus non est risibilis*, quæ opponitur conclusioni huic: *Christus est risibilis*, deductæ ex hac propositione de Fide: *Christus est homo*, & alia naturaliter nota: *omnis homo est risibilis*.

Sicuti sunt propositiones *hæresi proximæ*, *hæresim sapientes*, & *suspectæ de hæresi*, sic sunt propositiones *proximæ errori*, *errorem sapientes*, *suspectæ de errore*, quæ eodem proportionaliter modo definiri debent, ac quæ supra ad hæresim spectantes.

Aliquando damnantur propositiones ut *male sonantes*, vel *piarum aurium offensivæ*, & tunc est cum, licet nullam hæresis suspicionem adjunctam habeant, absurdum tamen sensum præseferunt a communi Patrum & Scholasticorum modo loquendi abhorrentem.

Aliquando damnantur ut *scandalosæ*, & tunc est cum in materia Fidei, vel morum occasionem præbent errandi, scilicet vel male credendi, vel male agendi: aliquando ut *temerariæ*, cum scilicet nulla satis probabili ratione fundantur: aliquando ut *schismaticæ*, cum scilicet schismata promovent, quæ eatenus tantum a seditiosis distinguuntur, quatenus *seditiosæ* dicuntur, quæ pugnant adversus sæcularem & civilem unitatem, *schismaticæ* autem quæ adversus ecclesiasticam.

Aliquando damnantur ut *impiæ*, aliquando ut *blaspheme*: *impiæ* quidem cum pietati adversantur: *blasphemæ* autem cum convicia contra Deum continent. Damnantur etiam aliquando ut *injuriosæ* seu *contumeliosæ*, quæ scilicet alicui statui, vel personæ injuriam afferunt.

Aliæ quoque sunt censurarum species, quibus aliquando Ecclesia damnabiles propositiones ferit; sed has omitto tum brevitatis studio, tum quod principaliores atque usitatiores videantur allatæ, sicuti non esse referendas duxi varias harum censu-

ra-

rarum explicationes, quas Theologi adducunt, quæ tamen parum differunt a jam adductis.

DISSERTATIO V.

De Conciliis.

Dissertationem hanc in duo capita divido. In 1. tradam naturam & species Conciliorum; in 2. disseram de Conciliorum auctoritate.

CAPUT PRIMUM.

Exponuntur natura & species Conciliorum.

Exponam hic 1. quid & quotuplex sit Concilium, 2. ad quos spectet Concilia convocare, 3. quinam sint ad Concilia convocandi, 4. quinam debeant Conciliis præsidere, 5. seriem Conciliorum generalium indicabo hucusque in Ecclesia celebratorum.

ARTICULUS PRIMUS.

Quod latine *Concilium*, hebraice *Sanhedrin* aut *Synedrion*, græce *Synodus* dicitur. Generaliter importat congregationem plurium, sed, ut communiter accipitur in Ecclesia, importat congregationem Superiorum ecclesiasticorum ad definienda ecclesiastica negotia; Concilii enim nomen in Ecclesia idem importat, ac nomen Comitiorum in Republica aut in Regno. Sicuti ergo cum hæc habentur, Principes, Proceres, Magistratus congregantur ad statuenda quæ spectant ad regimen vel Regni vel Reipublicæ, ita cum habentur Concilia in Ecclesia, congregantur Ecclesiæ Magistratus ad illa definienda, quæ ad ejusdem regimen spectant.

Concilia alia sunt *generalia* sive *œcumenica*, alia *particularia*. Priora sunt, ad quæ convocantur omnes catholici Episcopi: hæc autem, si legitima

sint, retinent veluti antonomastice nomen generis, sin minus, *pseudo-Synodi* seu *conciliabula*. Dixi *ad quæ convocantur*, potius quam *ad quæ conveniunt*; illud enim ad Concilia celebranda requiritur, hoc non, alias cum ad nullum Concilium convenerint omnes Episcopi, nullum usque adhuc fuisset in Ecclesia generale Concilium; quod nemo dixerit: & posset quilibet Episcopus pro libito per absentiam sui a Concilio impedire, ne esset generale.

Particularia Concilia dividuntur in *nationalia*, *provincialia* & *diœcesana*. Nationalia sunt, ad quæ convocantur omnes Episcopi alicujus Nationis, vel Regni, ut omnes Episcopi Hispani, vel Galli: provincialia, ad quæ convocantur omnes Episcopi alicujus Provinciæ, quæ sane minorem per se numerum Episcoporum comprehendunt, quam nationalia; cum in qualibet Natione vel Regno plures possint esse Provinciæ, sicuti E. G. in Natione Italica plures sunt, quarum singulæ aliquot Episcopos comprehendunt sub suo Metropolitano. Diœcesana denique sunt, ad quæ convocantur Clerici alicujus Episcopatus.

ARTICULUS SECUNDUS.

Assertio. *Ad illos spectat convocare Concilia, qui Primatum ecclesiasticum habent in cœtu illo, ex quo debent convocari.*

Convocare ergo debet generalia Concilia R. Pontifex: nationalia Primas aut Patriarcha, & in illorum defectum Nationis Metropolitani: provincialia Metropolitanus Provinciæ, & diœcesana Episcopus Diœcesis, cum isti habeant in his respective cœtibus Primatum.

Statuta assertio est ex parte contra Novatores, qui illam quoad omnes alias Conciliorum species admittentes, quoad generalia respuunt, putantes jus illa convocandi non R. Pontifici, sed Imperatoribus convenire.

Prob. autem assertio quoad partem controversam (ex quo patebit etiam probatio quoad alias par-

partes) ex Conciliis ipsis. Chalcedonense (a) damnavit Dioscorum, *quia præsumpsit & Synodum ausus est facere sine auctoritate Sedis Apostolicæ, quod nunquam licuit, nunquam factum est.* Ergo &c.

Prob. auctoritate Nicolai I. dicentis: (b) *Generale Concilium sine Apostolicæ Sedis præcepto nulli fas est vocandi*

Prob. ratione I. Convocatio Conciliorum est actus Religionem & spirituale Fidelium gubernium spectans, ad illum proinde pertinens, cui Religionis, Ecclesiæ, & animarum cura commissa est, qualis non est Imperator, sed R. Pontifex. II. Convocare oves ad Pastorem spectat. Pastor autem dominici gregis non est Imperator, sed R. Pontifex. III. Concilia generalia indici debent ab eo, qui auctoritatem habeat in unum cogendi omnes Episcopos; talem autem auctoritatem non habet Imperator, cui nec civiliter omnes Episcopi subditi sunt. IV. Ita se habet R. Pontifex ad totam Ecclesiam, ut Primas ad Episcopos alicujus Nationis vel Regni, Metropolitanus ad Episcopos suæ Provinciæ, & Episcopus ad Presbyteros suæ diœcesis. Sed ad istos respective spectat etiam per adversarios cogere in Concilium proprios respective subditos, non ad Reges & Principes sæculares. Ergo &c.

Obj. exempla plurium Conciliorum generalium ab Imperatoribus convocatorum. Nam Nicænum I. a Constantino Magno convocatum est, Constantinopolitanum I. a Theodosio seniore, Ephesinum a Theodosio juniore, Chalcedonense a Marciano, Constantinopolitanum II. a Justiniano, Constantinopolitanum III. a Constantino Pogonato, Nicænum II. a Constantino & Irene, Constantinopolitanum IV. a Basilio. Ergo &c.

R'. Semper in casibus adductis adfuisse consensum R. Pontificum, qui primis maxime Ecclesiæ sæculis provinciam convocandi Concilia Imperatoribus vel

(a) *Act.* 1. (b) *Ep.* 8.

vel demandarunt, vel permiserunt, tum quia civilis lex tunc vigebat prohibens frequentes hominum conventus absque Imperatorum auctoritate, tum quia paupertas R. Pontificum & Episcoporum illorum temporum non sinebat, ut ipsi necessarios sumptus facerent ad Concilia celebranda. Et sane consensus R. Pontificum in adductis casibus hoc est manifestum indicium, quod ipsi fere semper Legatos miserint, qui ipsorum nomine Concilio præessent. Cum vero non sunt missi Legati, nec Pontifex per se præsedit, non fuerunt rata Concilia, nisi actis postea consentiente ipso Pontifice.

Noto tamen quod, licet ad R. Pontificem spectet de jure generalia Concilia convocare, potest tamen esse legitimum Concilium ab alio, quam ab illo convocatum, ut si tempore Sedis vacantis necessitas urgeret illud convocandi, & etiam tempore schismatis, quod alia via tolli non posset; tunc enim ad Cardinales indictio pertineret.

ARTICULUS TERTIUS.

Assertio. *Ad Concilia generalia convocandi sunt omnes & soli Episcopi catholici, Cardinales, Abbates consecrati, & supremi Religiosorum Ordinum Moderatores: ad nationalia omnes Episcopi illius Nationis, in qua fit Concilium: ad provincialia omnes Episcopi Provinciæ, ad diœcesana Presbyteri diœcesis.*

Et hæc assertio est ex parte contra Novatores, qui illam quoad omnes alias Conciliorum species admittentes, respuunt quoad generalia, existimantes ad illa convocari debere nedum ecclesiasticos viros, sed etiam laicos dummodo doctos.

Circa quod claritatis gratia noto ex Bellarmino quatuor de causis aliquem interesse posse Conciliis. Primo potest interesse ut minister ad colligenda E. G. suffragia, ad sententias notandas &c.: secundo ut defendat Concilium, & det operam ut intra & extra omnia sint pacata: tertio ut disputando illa perpendat, de quibus debet ferri judicium, tuncque dicitur habere *suffragium consultivum*: quarto

ut

ut judex, qui *suffragium* habeat *decisivum*. De primis tribus modis, quibus potest quis vocari ad Concilium, hic non est quæstio; concedimus enim Novatoribus in ministris Conciliorum, ut sunt E. G. Notarii, Custodes &c., requiri tantum peritiam in eo, in quo debent inservire: in protectoribus & defensoribus Concilii, quales sunt ut plurimum Imperatores, Reges &c., requiri tantum potentiam & vires: in disputantibus, quales sunt Theologi, & Jurisperiti, requiri tantum scientiam, quin requiratur peculiaris aliqua dignitas ecclesiastica, quamvis subinde in Conciliis & ministri, & disputantes eligantur ex ordine clericali.

Difficultas ergo reducitur ad Judices, qui vocandi sint ut habentes votum decisivum, quos esse omnes & solos supradictos probatum erit, si tria ostendantur: primo habere hoc votum supradictos, secundo omnes istos habere (præscindo nunc a laborantibus aliquo canonico impedimento,) tertio habere solos. Hic pariter quæ dicentur circa Concilia generalia aptentur proportionaliter particularibus.

Prob. ergo prima pars. Episcopi a Deo sunt constituti Pastores & Principes Ecclesiæ. Ad ipsos igitur spectat ea in Conciliis decernere, quæ Fideles aut credere, aut agere debent. Habent ergo isti votum decisivum & quidem, ut patet; de jure divino. Cardinales item habent hoc votum & ex privilegio, & ex consuetudine, quia usus invaluit, ut in Conciliis ita admitterentur. Porro hic usus rationabilis est, quia ipsi assumuntur a Summo Pontifice ad curam totius Ecclesiæ, & in suis Titulis ipsi jurisdictionem habent episcopalem. Habent etiam votum decisivum Abbates consecrati, & Generales Ordinum tum ex consuetudine; nam jus suffragii decisivi habuerunt in Concliis Basileensi, Florentino, Lateranensi sub Leone X., & Tridentino: tum ex congruentia; nam cum ipsi sint superiores Fidelium exemptorum a jurisdictione Episcoporum, obtinent jurisdictionem quasi episcopalem, & cum ad Concilium vocentur Episcopi, ut repræsentent Fide-

de-

deles ipsis subditos, adeoque omnes simul totam Ecclesiam, vocari etiam debent dicti Abbates, & Religiosorum Ordinum Superiores, ut Fideles ipsis subditos repræsentent, qui ab Episcopis non repræsentantur.

Prob. secunda pars. Nam alias Concilium non esset generale, idest Ecclesiam universalem repræsentans.

Prob. tertia pars ex Concilio Chalcedonensi (cujus tempore nondum erant Cardinales & Religionum Superiores exempti.) Cum ad hoc introducti essent alii ab Episcopis, Patres uno ore clamarunt: *mitte foras superfluos: Concilium Episcoporum est*.

Prob. item ratione. I. soli supradicti jurisdictionem habent ecclesiasticam, qualis necessaria est ad ea definienda, quæ in Conciliis debent definiri, ad damnandos hæreticos & damnandas hæreses, ad condendos canones pro reformatione morum & disciplinæ, aliaque hujusmodi. Ergo &c. II. nunquam legitur hoc votum in generalibus Conciliis tulisse nisi Episcopos, Cardinales, Abbates, & Ordinum supremos Moderatores. Ergo &c.

Obj. contra tertiam partem, in qua maxime stat difficultas, ex Scripturis. Narratur (a) definitionem factam fuisse in generali Concilio Apostolorum tum ab ipsis Apostolis, tum ab omnibus aliis Fidelibus: *Tunc placuit Apostolis &c. Senioribus cum omni Ecclesia*. Ergo &c.

℟. solos Apostolos tulisse sententiam, cui cum omnes adstantes consensissent, ideo dictum est *placuisse omni Ecclesiæ*.

Obj. ex ratione I. Concilium generale universam Ecclesiam repræsentat. Ergo in illo debent admitti ut judices omnes Fideles utpote Ecclesiam constituentes.

II. Causæ, quæ in Conciliis generalibus agitantur, ad omnes Fideles spectant. Ad omnes ergo Fideles spectat de illis judicare.

III.

(a) *Act.* 13.

III. Aliquando Laici sunt sapientiores Episcopis. Si ergo isti admittuntur in generalibus Conciliis ut judices, a fortiori &c.

IV. Aliquando causæ Fidei coram populo sunt disputatæ. Ergo etiam Laici possunt de rebus Fidei judicare. Cur ergo a judicio ferendo in Conciliis generalibus excludentur?

℟. Ad I. Ecclesiam universalem repræsentari per Episcopos, sicuti in generalibus Comitiis aliquorum statuum status ipsi repræsentantur per Magnates & Principes singulorurum statuum. Et hoc confirmatur ex S. Cypriano dicente (a) *Ecclesiam esse in Episcopo*, & ex S. Augustino (b) consensum Episcoporum Concili generalis vocante consensum totius Ecclesiæ.

Ad II. ℟. ex argumento solum evinci pertinere ad generale Concilium omnes Fideles, sed non evincitur pertinere ut judices, quomodo in Comitiis statuum (ut jam adductæ paritati adhæream) etsi causæ, de quibus ibi agitur, spectent ad singula membra illorum statuum, non proinde jus ferendi sententiam ad singula spectat, sed ad solos Optimates.

Ad III. ℟. jus ferendi suffragium decisivum non competere Episcopis quatenus docti sunt, sed quatenus sunt Superiores ecclesiastici, quod de Laicis non verificatur.

Ad IV. ℟. judicium istud Populi vel costitisse in hoc, quod testimonium ferret in re facti spectante ad aliquam determinatam personam, vel quod testimonium ferret de communi Fide, vel quod approbaret sententiam a Superioribus ecclesiasticis latam: vel istud judicium non fuisse authenticum & publicum, idest prolatum tanquam a publico Judice auctoritative, ita ut tenerentur cæteri illi judicio acquiescere, sed tantum privatum, idest electionem sententiæ, quam quisque eligit ut veram, ut in disputationibus, quæ publi-

(a) *Ep.* 69. (b) *Lib.* I. *de Baptism. Cap.* 12.

blice fiunt, auditores sunt judices, quia audita utraque parte eligunt sententiam, quæ probabilior apparet, quin alios possint obligare ad ita sentiendum. Ergo &c.

ARTICULUS QUARTUS.

Assertio. *Illi de jure debent praesse Conciliis, ad quos supra dixi spectare illorum convocationem.*

Prob. I. Isti sunt in Conciliis respective Superiores. Ergo illis debent præesse. II. hoc probat praxis Ecclesiæ: Ergo &c.

Obj. ex facto I. In omnibus antiquioribus Conciliis præsederunt Imperatores. Ergo &c.

II. Saltem secundo & quinto Concilio generali Papa nec per se, nec per suos Legatos præsedit. Ergo &c.

℟. ad I. nunquam Imperatores præfuisse Conciliis, sed solum in iis permissos esse sedere honoris causa, vel etiam ut protectores illorum. Et de facto in Nicæno I Constantinus, ut testatur Eusebius, non sedit nisi in loco Episcoporum sedibus humiliore, & confessus est se Episcopis subjectum, atque ab iis se judicari debere: primi autem, qui subscripserunt, fuerunt Legati S. Sylvestri. Quid simile in fere omnibus aliis Orientalibus Conciliis generalibus accidisse ostendit historia ecclesiastica. Occidentalibus autem fatentibus etiam adversariis semper præsederunt summi Pontifices. Ergo &c.

Ad II. ℟. illa duo Concilia non fuisse generalia celebratione, sed solum acceptatione, quatenus scilicet post illorum celebrationem factam ab Orientalibus, fuerunt ab Occidentalibus & R. Pontifice acceptata.

ARTICULUS QUINTUS.

Tria Concilia generalia fuerunt ab Apostolis celebrata: Primum (a) ut eligeretur Apostolus in

(a) *Act.* 1.

locum Judæ: secundum (a) ut eligerentur septem Diaconi: tertium (b) ut definiretur Gentes ad Christum conversas non teneri legalibus Mosaycis.

Post tempora Apostolorum primum fuit Nicænum I. celebratum anno 325. sub S. Sylvestro & Costantino Magno in Civitate Nicææ ad damnandam hæresim Arii negantis Verbo Divinitatem, ad tollendum schisma Meletii, & errorem Quartodecimanorum. Nicæni appendix fuit Sardicense & ipsum generale, celebratum sub Filiis Constantini undecim annis post illius mortem, vel potius octo, ut contendit Cl. P. Mansi nunc Archiepiscopus Lucensis meritissimus; in quo pugnatum est pro defensoribus Fidei Nicænæ & præcipue pro S. Athanasio.

Secundum fuit Constantinopolitanum I. anno 381. sub Damaso Papa & Imperatore Theodosio seniore Constantinopoli celebratum a solis Orientalibus, quibus cum consensissent Occidentales Romæ in Synodo congregati, factum est ut deinceps Costantinopolitanum generale haberetur. Celebratum est præcipue contra hæresim Macedonii Spiritui S. divinitatem negantis.

Tertium fuit Ephesinum anno 431. celebratum Ephesi, sub Cælestino Papa & Theodosio juniore, contra errorem Nestorii duas in Christo personas admittentis.

Quartum fuit Chalcedonense anno 451. celebratum Chalcedone sub S. Leone Magno Papa, imperante Marciano, contra errorem Eutychetis duas in Christo naturas negantis.

Quintum fuit Constantinopolitanum II. anno 553. sub Vigilio Papa & Imperatore Justiniano I., celebratum ad damnationem trium Capitulorum. Et hoc quoque Concilium fuit generale solum post consensum Vigilii & Occidentalium.

Sextum fuit Constantinopolitanum III. anno 681., sub Agathone Papa & Imperatore Constantino

(a) *Act.* 6. (b) *Act.* 15.

tino Pogonato, celebratum contra Monothelitas duplicem Christo negantes voluntatem & operationem. Hujus & antecedentis complementum fuit Concilium Trullanum, scilicet Constantinopoli in loco dicto *Trullo* celebratum sub Sergio I. & Justiniano II. anno 692. ad sanciendos canones pro disciplina, quorum tamen aliqui tantum probati sunt. Hoc etiam Concilium dicitur Quinisextum.

Septimum fuit Nicænum II. anno 787. celebratum Nicææ, sub Adriano I. & Imperatoribus Constantino & Irene, ad restituendum cultum sacris Imaginibus.

Octavum fuit Costantinopolitanum IV. anno 869. celebratum, sub Adriano II. & Imperatore Basilio, contra Photium Sedis Constantinopolitanæ invasorem. Hæc omnia Concilia apud Græcos sunt celebrata. Quæ sequuntur apud Latinos.

Nonum fuit Lateranense I. Romæ in Basilica Lateranensi celebratum anno 1122., sub Callixto II. Papa & Imperatore Henrico V., pro pace inter Papam & Imperatorem, & pro recuperatione Terræ Sanctæ.

Decimum fuit Lateranense II. anno 1139. celebratum, sub Innocentio II. & Imperatore Lothario II. ad tollendum schisma Petri Leonis, & ad reformationem Cleri & morum.

Undecimum fuit Lateranense III. anno 1179. celebratum, sub Alexandro III. & Frederico I. Imperatore, ad damnandos Schismaticos, Hæreticos Valdenses & Albigenses.

Duodecimum fuit Lateranense IV. anno 1215, celebratum, sub Innocentio III. & Frederico II., ad damnationem errorum Joachimi Abbatis, & ad recuperationem Terræ Sanctæ.

Tertiumdecimum fuit Lugdunense I. Lugduni in Gallia celebratum anno 1245., sub Innocentio IV. & Frederico II. ad puniendum ipsum Fredericum Papæ inimicum, & pro recuperanda Terra Sancta.

Quartumdecimum fuit Lugdunense II. anno 1274. celebratum, sub Gregorio X. & Imperatore Rodulpho, præcipue contra errorem Græcorum negan-

gan-

gantium Spiritum S. a Filio procedere, qui etiam ejurato errore Latinis uniti sunt.

Quintumdecimum fuit Viennense anno 1311. Viennæ in Gallia celebratum, sub Clemente V. Papa & Imperatore Henrico VII., contra hæreses præcipue Beguardorum & Beguinarum, & ad examinandam causam Templariorum, quorum Ordo in Concilio extinctus est.

Sextumdecimum (omisso Pisano anni 1409., quod dubiæ est auctoritatis) fuit Constantiense Constantiæ inchoatum anno 1414. sub Joanne XXIII. & finitum anno 1418. sub Martino V. imperante Sigismundo, ad tollendum Schisma, & ad damnandos Hæreticos Wiclephum & Huss. Concilii solum decreta conciliariter facta in materia Fidei approbavit Martinus V.

Decimumseptimum fuit Basileense Basileæ pro reformatione morum inchoatum anno 1431. sub Eugenio IV. & Sigismundo Imperatore, & finitum anno 1449. sub Nicolao V. & Alberto II. Concilio aliquando favit, aliquando restitit Summus Pontifex, & tandem illud in sessione 25. rescidit, ex quo evasit Conciliabolum. Sunt etiam qui Basileense a numero Conciliorum legitimorum expungunt. Plura circa hoc nec non circa Constantiense dabo cum de superioritate Papæ in Concilium erit sermo.

Decimumoctavum fuit Florentinum anno 1438. post dissolutum Basileense indictum, & inchoatum Ferrariæ, & postea Florentiam translatum, ibique continuatum usque ad annum 1442. sub Pontificatu Eugenii IV. & Imperio Alberti II. præcipue ad renovandam unionem Græcorum cum Latinis; quæ in Concilio perfecta est.

Decimumnonum fuit Lateranense V. sub Julio II. inchoatum anno 1512. & absolutum sub Leone X. imperante Maximiliano, ut obviaretur Conciliabulo Pisano, & ageretur de recuperatione Terræ Sanctæ.

Vigesimum illudque novissimum fuit Tridentinum Tridenti inchoatum anno 1545. sub Paulo III. & Imperatore Carolo V., deinde continuatum sub Julio III., & absolutum sub Pio IV. anno 1563.,

im-

imperante Ferdinando I., contra hæreticos Lutherum & Calvinum, & pro reformatione morum.

CAPUT SECUNDUM.

De Auctoritate Conciliorum.

Agam hic 1. de auctoritate Conciliorum particularium. 2. de auctoritate generalium.

ARTICULUS PRIMUS.

Conciliorum auctoritas spectari potest tum quoad ea, quæ proponunt credenda, tum quoad ea, quæ proponunt agenda. Quoad credenda aliquam sane Concilia particularia obtinent auctoritatem, non tamen infallibilem, nisi accedat consensus Ecclesiæ, vel approbatio summi Pontificis ex Cathedra ea definientis vera, quæ statuunt, quo casu non tam ista ob illorum auctoritatem, quam ob auctoritatem vel Ecclesiæ, vel Papæ credenda sunt. Si vero de agendis sermo sit, horum Conciliorum statuta *per se non obligant* nisi Regiones, ex quibus congregantur, sicque leges nationalium non obligant nisi Nationem, provincialia Provinciam, diœcesana Diœcesim, in qua fiunt.

Dixi *per se non obligare &c.* Si enim leges in iis latæ acceptarentur ab universa Ecclesia, vel a summo Pontifice pro tota Ecclesia promulgarentur, jam tunc totam Ecclesiam obligarent non ut leges talium Conciliorum, sed ut leges Ecclesiæ vel Papæ proportionaliter ad superius dicta.

ARTICULUS SECUNDUS.

Hic loquor de Conciliis generalibus in omnibus legitimis. Talia Concilia nunquam esse infallibilia docuit Lutherus atque Calvinus. Contra docent Catholici ipsa esse infallibilia in omnibus iis casibus, in quibus supra dictum est Ecclesiam esse infallibilem. Sit ergo.

As-

Assertio. *Concilia generalia in omnibus legitima, sunt infallibilia in definitionibus aut ad Fidem, aut ad mores pertinentibus, prout supra de Ecclesia statutum est.*

Prob. ex Scriptura. Nam ex illis Christi verbis *super cathedram Moysis &c.* & *qui vos audit &c.* aliique relatis ubi de auctoritate Patrum, Fideles tenentur audire & sequi vocem Pastorum. Si ergo omnes Pastores in Concilio congregati errarent, errarent etiam omnes Fideles, adeoque Ecclesia. Hoc ex supra probatis est impossibile. Ergo &c.

Prob. ex Patribus I. S. Gregorius Nazianzenus, cum Apollinaristæ se esse hæreticos negarent, quod in quodam Concilio generali recepti essent, respondit: (a) *Ostendant hoc, & nos acquiescemus; perspicuum enim erit eos ut rectæ doctrinæ assentientes susceptos fuisse; nec enim se aliter res habere potest, si hoc consecuti sunt.* II. S. Augustinus (b) hac tantum ratione ab hæresi excusat S. Cyprianum contendentem rebaptizandos esse baptizatos ab Hæreticis, quia nondum extiterat generale Concilium, in quo hæc quæstio terminaretur. III. S. Leo (c) docet non posse inter Catholicos computari eos, qui resistunt Nicæno vel Chalcedonensi. IV. S. Gregorius (d) dicit anathema non recipientibus quinque illa generalia Concilia, quæ ipsius tempore celebrata erant. Ergo &c.

Obj. ex Patribus. I. Nazianzenus hæc habet: (e) *Ego ita animo affectus sum, ut omnia Episcoporum Concilia fugiam; quoniam nullius Concilii finem lætum faustumque vidi, nec quod depulsionem malorum potius, quam accessionem & incrementum habuerit.*

. II.

(a) *Ep. 1. ad Cledonium.* (b) *Lib. 1. de Baptis. Cap. 18.* (c) *Ep. 78. ad Leonem August.* (d) *Lib. 1. Ep. 24.* (e) *Ep. ad Procop.*

II. S. Augustinus ait: (a) *Nec ego Nicænum, nec tu debes Ariminense tanquam præjudicaturus proferre Concilium: nec ego hujus auctoritate, nec tu illius detineris*. Rursus (b) asserit *priora Concilia a posterioribus emendari*. S. autem Doctorem id asserere etiam relate ad quæstiones Fidei probatur; nam ex hoc evincit potuisse etiam errare Concilia habita a S. Cypriano in causa rebaptizantium, quæ pertinebat ad Fidem.,

III. S. Leo Magnus quamvis agnoscat Chalcedonense legitimum, illi tamen (c) tribuit ambitionem & temeritatem. Ergo &c.

℟. Ad I. Nazianzenum loqui de Conciliis sui temporis, quæ omnia ob multitudinum Episcoporum Arianorum infaustum exitum habuerant, ut Ariminense, Mediolanense &c., nec putabat tunc fieri posse Concilium salutare & legitimum. Hæc ex duabus fuit una excusatio, quam attulit Procopio ipsum invitanti nomine Imperatoris ad quoddam Concilium: altera fuit adversa valetudo. Sed aliud est, tales esse circumstantias ut non possit sperari Concilium legitimum, aliud quod Concilium, in suppositione quod legitimum sit, errare possit. Cæterum ipse S. Gregorius Constantinopolitano I. interfuit, imo in illo maxime laboravit.

Ad II. ℟. S. Augustinum primo loco non negare auctoritatem Nicæni, sed illam omittere; Maximinus scilicet Arianus Nicæno opponebat Ariminense: quia autem nolebat Augustinus tempus insumere in ostendendo Nicænum esse legitimum, secus Ariminense, ideo utrumque omittendum duxit præsertim cum alia ipsi suppeterent argumenta ad refellendum Maximinum. Alio loco asserit priora Concilia a posterioribus emendari in rebus meri facti, quod patet; nam asserit illa emendari, cum aliquo experimento palam fit quod latebat: ex-

(a) *Lib.* 3. *contr. Maximin. Cap.* 14. (b) *lib.* 2. *de baptis. Cap.* 3. (d) *Ep.* 53. & 54.

experimenta autem ad res facti dignoscendas adhibentur, non ad solvendas quæstiones juris. Porro etsi de quæstionibus facti loquatur, ex hoc tamen potuit probare Concilia S. Cypriani potuisse errare in quæstionibus juris, cum eadem sit ratio, ob quam in quæstionibus meri facti possunt errare Concilia generalia, & in quæstionibus juris non generalia, nimirum defectus assistentiæ Spiritus Sancti.

Ad III. ℞. S. Leonem ambitionis redarguere Chalcedonense pro ea parte, qua condiderat canonem statuentem primatum Episcopi Constantinopolitani supra Alexandrinum, & Anthiochenum contra decreta Nicæni. Sed hic canon unice spectabat ad disciplinam, & cum fuerit a S. Leone reprobatus, Concilium quoad illum non erat legitimum.

Obj. ex factis I. Multa Concilia generalia erraverunt; nam erravit Concilium generale Apostolorum, in quo statutum est (a) Gentes ad Christum conversas teneri ad abstinendum a sanguine & suffocato, adeoque ad judaizandum. Erravit Nicænum I. dum (b) militiam damnavit, quam tamen licitam esse in confesso est apud omnes. Erravit vel Constantiense, vel Basileense; illud enim excommunicavit communicantes sub utraque specie, hoc vero utramque speciem Bohemis concessit.

II. Aliqua generalia Concilia non sunt recepta, vel si recepta, non sunt recepta in omnibus, ut Concilium VII. generale, quod a multis Occidentalibus Ecclesiis non fuit aliquando receptum, quæ tamen non ideo hæreticæ sunt declaratæ: Tridentinum, cujus aliqua statuta a Gallis acceptata non sunt. Ergo &c.

℞. Ad I. ideo præceptum esse, ut Fideles abstinerent a suffocato, ne Judæi conversi ad Christum, qui valde a suffocato abhorrebant, propterea se a Gentilibus pariter conversis segregarent. Ex

(a) *Act.* 15. (b) *Can.* 12.

charitate igitur & prudenti œconomia id factum est. Cæterum cessante illo periculo cessavit & lex. Nicænum non prohibuit absolute militiam, sed solum quando erat conjuncta cum signis Idololatriæ; cingulus enim militiæ, nota magni honoris apud Ethnicos, Christianis, nisi Christo renunciassent, auferebatur, quorum aliqui potius quam Fidem illum deponebant, sed postea seducti cingulum resumebant. Id autem in circumstantiis erat signum Idololatriæ, ut patet, idque est, quod a Nicæno damnatur. Constantiense excommunicavit communicantes sub utraque specie propria auctoritate, non autem id facientes ex indulto Ecclesiæ, quale concessit Bohemis Basileense.

Ad II. ℟. aliquando sane generalia Concilia non fuisse recepta, sed errore facti; putabantur enim non esse legitima, ut accidit circa VII. Aliquando etiam Concilia generalia, cæteroquin existimata legitima, non sunt acceptata etiam a Catholicis in legibus disciplinæ, cujusmodi fuit Tridentinum, quod in Gallis, quamvis acceptatum in spectantibus ad Fidem, in aliquibus tamen legibus disciplinæ non est acceptatum, contendentibus Gallis non quidem eas leges esse vel injustas, vel impias, sed esse contrarias consuetudinibus & privilegiis Regni Galliarum: jure ne an injuria id contendant, viderint ipsi.

Obj. ex ratione. Si statuta infallibilitas esset data Conciliis, frustra esset data. Hoc non. Ergo &c. Prob. major. Nunquam possumus certo cognoscere Concilium esse legitimum & œcumenicum; nam quis potest esse certus, quod Patres Concilii vere sint Episcopi, cum hoc a charactere dependeat, qui est invisibilis? Rursus quis potest esse certus Patres Concilii adhibuisse debitam diligentiam pro invenienda veritate? Ergo &c.

℟. Primo negando majorem, deinde ad probationem dicendo Ecclesiam posse esse certam de omnibus iis, quæ requiruntur, ut Concilium sit œcumenicum, recteque procedat; cum enim velit Deus, ut Conciliorum definitiones sint regulæ Fidei & morum, debet ita omnia disponere, ut nul-

nullus remaneat de illorum legitimitate, & recta procedendi metholo prudens dubitandi locus. Non permittet igitur Deus, ut decreta fiant ab iis; qui jus non habent ea condendi, vel alio modo ab eo, qui ad illa legitime condenda necessarius est. Secundo etsi illud permitteret Deus, & tamen defectus non patefierent, ita ut Concilium & legitimum & legitime procedens communiter putaretur neque in hoc casu (inquit Bellarminus) Deus sineret Concilium errare, qui alquando vel per jumentum corripuit Prophetæ insipientiam.

DISSERTATIO VI.

De Romano Pontifice.

DIssertationem hanc in tria capita divido. In 1. agam de Primatu R. Pontificis in singulos Fideles singillatim sumptos: in 2. de ejusdem Primatu in omnes Fideles etiam sumptos conjunctim: in 3. de ejusdem auctoritate in definiendis quæstionibus Fidei & morum.

CAPUT PRIMUM.

De Primatu R. Pontificis in singulos Fideles singillatim sumptos.

CUM Primatus R. Pontificis fundetur in Primatu S. Petri, cujus ipse est successor, postulat materiæ ordo, ut prius loquar de Primatu S. Petri. Hoc statuto probandum erit R. Pontificem successorem esse S. Petri in Primatu, quod ut evincatur, ostendendum S. Petrum Romæ fuisse, ibique Sedem suam fixisse, & usque ad mortem retinuisse, in qua Sede successerunt R. Pontifices. 1. itaque præmittam quæ ad intelligentiam quæstionis sunt necessaria: 2. probabo formam gubernii in Ecclesia a Christo institutam esse Monarchiam: 3. ostendam Ecclesiæ Monarcham fuisse a Christo constitutum S.

Petrum, qui proinde Primatum habuit jure divino: 4. ostendam S. Petrum Romæ fixisse Sedem hujus Primatus, ibique eum sedentem mortuum esse: 5. ostendam R. Pontifices esse in hoc Primatu Petri successores, qui proinde Primatum hunc possident ex jure divino.

ARTICULUS PRIMUS.

Dupliciter intelligi potest aliquem habere supra alios Primatum: primo ita ut habeat ampliorem dignitatem, quam alii, & in apta aliqua & ordinata serie primum locum obtinere debeat, absque eo quod potestatem habeat super illos: secundo ut insuper habeat talem potestatem. Priori modo primatum obtinet E. G. supra simplicem Presbyterum Presbyter graduatus, ut si sit Doctor: secundo modo primatum obtinet Episcopus supra Presbyteros suæ Diœcesis.

Quinam ex his Primatibus R. Pontifici relate ad Fideles conveniat, lis est inter Catholicos ex una parte, & Hæreticos præsertim modernos, Wiclephum scilicet, Lutherum, Calvinum, nec non Græcos schismaticos ex altera. Catholici omnes, cum S. Petro fateantur divinitus concessum Primatum nedum honoris, sed etiam jurisdictionis in omnes alios Fideles, consequenter hunc Primatum etiam in R. Pontificibus agnoscunt utpote S. Petri successoribus. Hæretici e contrario Primatum S. Petro & R. Pontificibus honoris tantum concedentes, Primatum jurisdictionis denegant, vel ad summum illum ex jure tantum humano contendunt provenire.

Sed hic ipse Primatus jurisdictionis dupliciter potest intelligi: primo ut R. Pontifex jurisdictionem habeat in Fideles singillatim sumptos: secundo ut habeat in illos etiam sumptos conjunctim. Primo modo dicitur habere Primatum in Ecclesia, secundo in Ecclesiam. Primum Primatum concedunt omnes Catholici, solumque impugnant Hæretici: de secundo inter ipsos Catholicos non convenit.

Ut hoc melius intelligatur, notandum triplicem esse posse in communitate gubernii formam, nem-

nempe *Monarchiam*, *Aristocratiam*, & *Democratiam*. Prima importat, ut unus tantum gubernet, secunda ut gubernent Optimates, tertia ut gubernet totus Populus. Istæ formæ gubernii possunt esse in proprio genere perfectæ, & est cum una nihil de alia participat, ut apud Gallos Monarchia, apud Venetos Aristocratia: & possunt esse imperfectæ, & est cum una de alia participat, ut gubernium Anglorum, apud quos viget quidem Monarchia, quatenus una persona, ut Rex, omnibus aliis præsidet, sed ita tamen ut hæc Optimatum simul sumptorum determinationibus saltem in plurimis stare debeat, sicque vigeat etiam Aristocratia.

Porro utrum S. Petrus habuerit Primatum jurisdictionis in Ecclesia, & consequenter illud habeat R. Pontifex, ex eo dependet, quod gubernium a Christo in Ecclesia institutum sit monarchicum. Utrum vero illud habeat in Ecclesiam, dependet ex quo tale gubernium sit monarchicum perfecte. Monarchiam fuisse in Ecclesia institutam docent Catholici, soli negant Hæretici: utrum vero hæc Monarchia sit perfecta, controvertitur inter ipsos Catholicos. Hoc capite, cum de Primatu S. Petri, aliorumque R. Pontificum præcise in Ecclesia sit sermo, agendum est tantum de gubernio simpliciter monarchico: capite autem sequenti examinabitur, utrum hoc gubernium sit monarchicum perfecte.

ARTICULUS SECUNDUS.

Assertio. *Gubernium a Christo in Ecclesia institutum est monarchicum.*

Prob. ex Scripturis. I. id denotant ipsius Ecclesiæ figuræ; nam erat figura Ecclesiæ nostræ Ecclesia vetus, in qua tamen unus erat Sacerdos, cui omnes in spiritualibus parere debebant. II. id denotant symbola, quibus Ecclesia nostra denotata est; dicitur enim (a) Exercitus: *ut castrorum acies ordina-*

(a) *Cantic. 6.*

dinata: & Regnum (a): in Exercitu autem est unus supremus Dux, in Regno unus supremus Monarcha. Ergo &c. III. id denotant nomina, quibus insignitur: nam dicitur (b) Ovile (c) Navis (d) Corpus. Atqui Ovili unus præsidet pastor, Corpori unum caput, Navi unus supremus gubernator. Ergo &c.

Huc referantur quæ capite sequenti adducentur ad probandum gubernium Ecclesiæ esse perfecte monarchicum.

Obj. ex Scripturis. Apostolus (e) enumerans omnes gradus ecclesiasticæ Hierarchiæ summi Monarchæ non meminit, imo (f) probans Ecclesiæ unitatem illam quidem repetit ex unitate Christi, Fidei, & Spiritus, non vero ex unitate Capitis visibilis. Ergo &c.

℟. Apostolum non enumerare gradus ecclesiasticæ Hierarchiæ, sed varia charismata, quibus homines a Deo donantur; nam recenset etiam Prophetas & Doctores, quibus ut talibus nihil est cum ecclesiastica Hierarchia commune. Et quamvis unitatem Ecclesiæ deducat ex unitate Christi, Fidei, & Spiritus, non tamen negat eam ex unitate etiam Capitis visibilis derivari posse, imo fortasse eam exprimit, nam dicendo nos esse unum corpus supponit adesse etiam Caput utique visibile, cum nos simus corpus visibile.

ARTICULUS TERTIUS.

Assertio. *Supremus Ecclesiæ Monarcha fuit a Christo constitutus S. Petrus, qui proinde Primatum habuit jurisdictionis de jure divino in singulos Fideles.*

Prob. ex Scripturis. I. Petro bis dixit Christus (g) *Pasce agnos meos* & semel *Pasce oves meas* (Per

(a) *Daniel.* 2. (b) *Jo.* 10. (c) 1. *Pet.* 3. (d) *Rom.* 11. (e) *Ephes.* 4. (f) *Ibidem.* (g) *Jo.* 21.

(Per agnos simplices Fideles, per oves alios Pastores, qui sunt veluti Fidelium matres, denotari est manifestum.) Si igitur S. Petrus fuit constitutus Pastor omnium Fidelium, illos debet pascere, idest instruere, regere, gubernare, quæ omnia Primatum jurisdictionis important. Ergo &c. Hinc S. Ambrosius: (a) *Interrogavit Christus, & jam non agnos ut primo, sed oves pascere jubetur, perfectiores ut perfectior gubernaret*: & antiquus Auctor homiliæ in vigilia S. Petri, quæ in Bibliotheca Patrum recensetur inter opera Eusebii Emisseni, sed ibi tribuitur S. Brunoni Astensi Episcopo Signino, *Prius*, inquit, *agnos, deinde oves commisit ei, quia non solum Pastorem, sed Pastorum Pastorem eum constituit: Pascit igitur Petrus agnos, pascit & oves: pascit filios, pascit & matres: regit & subditos & Prælatos. Omnium igitur Pastor est, quia præter agnos & oves in Ecclesia nihil est.*

Reponunt Hæretici nihil ex adducto Scripturæ textu probari; nam alii ex Patribus volunt adducta verba esse dicta ad omnes Apostolos, alii ad Petrum solum, ut gerentem personam Ecclesiæ. Sed

℟. Nihil ex diversitate adductarum explicationum contra nos. Nam cum Patres in explicando aliquo textu discordes sunt, vel adducunt explicationes inter se ita contrarias, ut una cum altera conciliari non possit, vel non ita contrarias. Si primum; cum non omnes illas explicationes possimus amplecti, illam amplectamur necesse est, quæ magis est consona litterali sensui textus. Si igitur in casu adductæ a Patribus explicationes essent inter se inconciliabiles, illa esset seligenda, quæ litteralior esset: nulla autem est litteralior explicatio textus allati illa, quæ in probatione est adoptata. Si secundum, ut hic contingit, postulat reverentia Patribus debita, ut omnes simul amplectamur: amplectimur autem commodissime positis, quæ dicta sunt in probatione. Nam etsi ad alios etiam Apostolos,

(a) *In Cap. 24. S. Luc.*

& ad omnes Episcopos concedatur pertinere illa verba *Pasce &c.* diverso tamen modo ad illos pertinent, ac ad Petrum: ad illos enim referuntur ut dependentes a Petro, ad hunc vero ut independentem ab alio quocumque præter Deum. Et de facto si ad alios Apostolos eodem modo, ac ad Petrum illa verba referrentur; cur potius ad Petrum directa fuissent, quam ad alios? Quod pariter illa verba dicta sint Petro ut personam Ecclesiæ gerenti conciliatur optime cum dictis in probatione. Nam primo certum videtur illa verba non referri ad totum corpus Ecclesiæ prout hæc omnes Fideles comprehendit, ita ut Ecclesiæ sic consideratæ commiserit Christus pascendas oves, pascendos agnos; hoc enim modo Ecclesiæ commisisset seipsam pascendam. Remanet ergo ut ad Ecclesiam referantur, prout solos animarum Pastores comprehendit. Nunc vero: quomodonam Petrus Ecclesiam hoc modo inspectam repræsentabat? Non aliter sane nisi quia omnium Pastorum erat Caput. Et hic autem quæri potest cur Christus allocuturus Ecclesiam non eam allocutus sit in alio ex Apostolis, quam in Petro. Hæc specialis certe Petri mentio indicat aliquid speciale in ipso fuisse, quod non erat in aliis Apostolis. Hoc melius assignari non potest quam Primatus. Ergo &c.

Prob. II. ex illo: (a) *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, quibus denotavit Christus ita se habere omnes alios Fideles ad Petrum, ut domus ad fundamentum. Atqui a fundamento omnes domus partes dependent. Ergo etiam a Petro dependent omnes Fideles, quod importat rationem Primatus, de quo est quæstio. Hinc S. Hieronymus inquit: (b) *Ut Plato Princeps Philosophorum, ita Petrus Apostolorum fuit, super quem Ecclesia Domini stabili mole fundata est*: & S. Augustinus: (c) *Petrus paulo ante Christum confes-*

(a) *Matt.* 16. (b) *Lib.* 1. *contr. Pelagian.*
(c) *in Psalm.* 69.

fessus erat Filium Dei, & in illa confessione appellatus erat petra, supra quam fabricaretur Ecclesia.

Et hic reponunt Novatores divisos esse Patres in explicando textu adducto, aliis nomine petræ intelligentibus ipsum Petrum, aliis ipsius Fidem, aliis Christum, aliis reliquos Apostolos. Sed

Cohærenter ad dicta R/. primo supra allatam explicationem esse omnibus aliis litteraliorem: secundo illa posita conciliari inter se omnes alias, nam revera fundamentalis petra primaria est Christus, at secundaria est Petrus: Fides Petri non excludit ipsius personam, sed solum fuit causa meritoria, ob quam Petrus constitutus est caput & fundamentum Ecclesiæ? reliqui Apostoli sunt fundamenta diversimode ac Petrus, hic enim totam Ecclesiam sustentat, & ipse a nullo sustentatur præterquam a summo angulari lapide Christo, cum illi quamvis Ecclesiam sustentantes sustentari tamen debeant ab ipso & in ipso Petro. Ergo &c.

Prob. assertio ex Patribus I. S. Hieronymus inquit. (a) *Inter duodecim unus Petrus eligitur, ut capite constituto schismatis tollatur occasio.* II. S. Cyrillus: (b) *Petrus*, inquit, *ut Princeps Caputque cæterorum primus exclamavit. Tu es Christus &c.* III. S. Leo (c) *De toto mundo*, ait *unus Petrus eligitur . . . ut quamvis in populum Dei multi Sacerdotes sint multique Pastores, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit & Christus.*

Obj. ex Scripturis I. Cum orta esset contentio inter Apostolos, quis eorum esset major, illos (d) increpavit Christus, responditque nullum ex illis se aliis majorem existimare debere. Hæc autem contentio, & responsio locum non habuisset, si Petrus fuisset primus inter Apostolos.

(a) *lib.* 1. *advers. Jovinian.* (b) *lib.* 12. *in Jo. Cap.* 64. (c) *Serm.* 3. *de assump. sui.* (d) *Luca* 22.

II. Saltem Petrus fuit æqualis D. Paulo; nam constat fuisse divisam jurisdictionem inter illos, ut Paulo Gentium, Petro Judæorum cura demandaretur, ita enim Paulus loquitur: (a) *Creditum est mihi Evangelium præputii sicut & Petro circumcisionis (Qui enim operatus est Petro in Apostolatum circumcisionis, operatus est & mihi inter Gentes;)* & alibi (b) testatus est sibi etiam commissam curam omnium Ecclesiarum: *Præter illa, quæ extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana sollicitudo omnium Ecclesiarum*: & rursus (c) ait se nulli inferiorem esse: *Nihil minus fui ab iis, qui sunt supra modum Apostoli*. Et sane si fuisset inferior Petro, non ei restitisset, ut de facto restitit (d).

R. ad I. S. Petrum tunc nondum fuisse a Christo aliorum caput constitutum, fuit enim constitutus solum post resurrectionem: Apostoli autem tunc ignorabant Primatum ipsi fore tribuendum; nam licet hoc Christus antea designasset, tamen antequam intellectus eorum aperiretur, quod solum factum est post Resurrectionem, ipsi fere nihil ex revelatis intelligebant. Mirum ergo non est, si ignorabant quis esset major. Responsio porro Christi potius supponit, quam neget aliquem inter Apostolos fuisse aliis majorem, nam dicit: *Qui major est in vobis fiat sicut minor*. Quod ideo dixit, ut doceret etiam Superiores ecclesiasticos humilitatem.

Ad II. R. S. Petrum fuisse Apostolum Judæorum, S. vero Paulum Gentium non Jurisdictione, sed sorte, scilicet uterque ratione Apostolatus in universa Ecclesia Jurisdictionem habuit, sed cum Apostoli inter se divisissent Orbem prædicatione imbuendum, Petro commissi sunt Judæi, Paulus ad Gentiles a Spiritu S. est destinatus. Cum autem ratione Apostolatus, & Paulus in totum Orbem Jurisdictionem haberet (extraordinariam uti-

(a) *Gal.* 2. (b) 2. *Cor.* 11.
(c) 2. *Cor.* 12. (d) *Gal.* 2.

utique & ad successores non transmittendam) merito dicere potuit se pro omnibus Ecclesiis sollicitum fuisse. Rursus dixit se inferiorem aliis non esse relate ad labores, quos tulit pro evangelica prædicatione, quod satis erat, ut ostenderet suum ministerium non esse inferius ministerio aliorum Apostolorum, quod tunc aliqui contendebant, ut omittam, quod per aliquos Interpretes Paulus hoc loco non dicit se inferiorem non esse veris Apostolis, sed Apostolis falsis. Si tandem restitit Petro, non ex imperio aut superioritate restitit, sed ex charitate & studio Religionis, quod ab inferioribus erga superiores, si hi videantur errare, fieri potest.

Obj. ex Patribus I. Aliqui expresse Primatum denegant Petro, ut S. Ambrosius, qui ait: (a) *Loci non immemor sui Petrus Primatum egit. Primatum confessionis utique non honoris: Primatum Fidei non ordinis.*

II. Alii omnes Apostolos pares faciunt in dignitate, ut S. Cyprianus qui ait. (b) *Hoc erant utique cæteri Apostoli quod fuit Petrus, pari consortio præditi & honoris & potestatis.*

III. Alii Petro saltem parem faciunt Paulum, ut Ambrosius supracitatus, qui expresse docet (c) Paulum non esse Petro inferiorem. Cui addi possunt omnes illi, qui ambos appellant *Principes Apostolorum, fundatores Romanæ Ecclesiæ:* qui dicunt in ipsorum auctoritate ecclesiastica negotia expediri: qui voluerunt, vel saltem permiserunt, ut in horum Apostolorum imaginibus modo unus, modo alter ad dexteram collocaretur, ut cernitur in antiquissimis tabulis. Ergo &c.

IV. Alii præferunt Petro Jacobum, ut Clemens apud Eusebium (d) inquiens: *Petrus, Jacobus, & Joannes... non sibi vindicabant Primatus glo-*

(a) *De Incarnat. Cap.* 4. (b) *De unit. Eccles.* (c) *lib.* 2. *de Spirit. S.* (d) *lib.* 2. *hist. C.* I.

gloriam, sed Jacobum, qui dicebatur justus, Apostolorum Episcopum statuunt. Et Esychius Hierosolymitanus (a) eum vocat *Apostolorum caput, in capitibus verticem*.

℟. ad I. Ambrosium non negare Petro Primatum honoris & ordinis, sed tantum asserere ipsum, cum primus respondit Christo interroganti, *quem dicunt homines esse Filium hominis*, Primatum exercere voluisse confessionis & fidei, voluisse scilicet se ostendere primum in confessione & fide.

Ad II. ℟. S. Cyprianum facere Apostolos pares cum Petro in eo tantum, quod est essentiale Apostolatui, in designatione scilicet illorum a Christo facta, in potestate ipsis concessa docendi, Sacramenta ministrandi, Episcopos instituendi &c.

Ad III. ℟. S. Ambrosium id asserere tantum in ordine ad ea, quæ sunt intrinseca Apostolatui, qualis non est Primatus. Contendit enim (b) Spiritum S. non esse Filio minorem ex quo Apostoli a Spiritu S. designati, qualis fuit Paulus non sint inferiores designatis a Christo. Vim igitur facit in Apostolatu, & Apostolatui intrinsecis. Cæteræ locutiones adductæ facile conciliantur cum statuta assertione. Nam S. Paulus dicitur non secus ac S. Petrus Princeps Apostolorum, quia illius Apostolatus fuit singulariter insignis & ob miraculosam vocationem, & ob maximos labores, quos pertulit in Evangelica pædicatione: ambo dicuntur Ecclesiæ Romanæ fundatores, quia de facto uterque prædicatione ac sanguine Ecclesiam illam fundavit, uterque etiam Episcopus Romanus fuit, sed S. Petrus ordinarius, S. Paulus extraordinarius, inæquali etiam jure, nam S. Paulus talis fuit solum ratione Apostolatus, qui jus Episcopale ubique tribuebat, at S. Petrus præterea etiam, quia particularem illam Ecclesiam & Civitatem elegit, ubi sedem figeret & Successoribus relinqueret, ut infra pro-

(a) *Orat. in Jacob. apud Photium in Bibliot. Cod.* 275. (b) *Ibidem*.

probabitur. Ex hoc patet quare dicantur ecclesiastica negotia expediri illorum auctoritate. Quod si aliquando Paulus pictus cernitur a dextris Petri; nil mirum, nam dextera antiquitus non semper fuit honoratior locus. Patet hoc omissis aliis ex VII. Synodo ubi refertur Sophronium imaginem Ch isti exhibuisse, ad cujus dexteram depictus erat S. Joannes Baptista, ad sinistram Deipara: ex Chalcedonensi, in qua Dioscorus sedebat a dextris Legatorum S. Leonis; ex Eusebio, qui (a) asserit juniorem Augustum semper ad dexteram senioris incessisse.

Ad IV. R. textum Clementis depravatum esse, ut testatur Valesius, qui cum in unico codice illum, prout allatus est, invenisset, in nullo alio invenit. Non invenit scilicet illud *Primatus*, & pro Apostolorum invenit *Hierosolymorum*. Sensus autem loci est, Petrum & Joannem non affectasse gloriam redundantem ex Episcopatu Hierosolymitano, qui tunc temporis nondum fundatis aliis Episcopatibus erat nobilissimus (quamvis postea, aliis fundatis, talis non fuerit, imo in Nicæno I. quartus tantum decretus est locus Episcopo Hierosolymitano, qui etiam subjectus erat Episcopo Cæsareensi totius Palæstinæ Primati). Ita autem textum Clementis legendum esse ut dixi, patet ex Nicephoro, qui ita eundem refert. Hesychius autem hyperbolice oratorio modo loquitur.

ARTICULUS QUARTUS.

Romæ fuisse S. Petrum, post Marsilium Patavinum scriptorem 4. sæculi plures negarunt Lutherani & Calvinistæ. Alii Novatores non diffitentes S. Petrum fuisse, nolunt tamen ibi Sedem suam fixisse, aut usque ad mortem retinuisse. Contra hos omnes ex ordine procedendum. Sit ergo

As-

(a) *Lib. 1. de vita Constantin.*

Assertio prima. *S. Petrus Romæ fuit.*

Prob. ex Patribus I. S Irænæus inquit: (a) *Matthæus in Hebræis ipsorum lingua opus edidit Evangelii, Petro & Paulo Romæ evangelizantibus.* II. Tertullianus: (b) *Nec quicquam refert inter eos, quos Joannes in Jordane, & quos Petrus in Tyberi tinxit.* III. Origenes apud Eusebium: (c) *Petrus Romam veniens cruci suffixus est capite deorsum demisso.* Pauca hic attuli, nam assertio hæc ex dicendis infra magis confirmabitur.

Obj. ex Scriptura silentium ejusdem, quæ tamen pleraque alia de Apostolis minus notatu digna commemorat: quod maxime dicendum est de S. Luca, qui ex professo scripsit Apostolorum acta. Ergo &c.

℟. Argumentum hoc negativum, cum positiva adsunt in contrarium, nihil evincere. Specialiter vero quoad S. Lucam ℟. illum non meminisse itineris S. Petri Romam, quia ipse, postquam recensuit prima Apostolorum gesta, post ascensionem Christi se totum convertit ad narranda gesta S. Pauli, cujus fuit comes.

Obj. ex ratione. Historiæ alicujus falsitas maxime dignoscitur ex discrepantia auctorum illam narrantium. Hæc discrepantia in casu habetur, nam Orosius docet Petrum Romam venisse initio Imperii Claudii: Eusebius & Hieronymus anno 2.: Fasciculus Temporum anno 4. Passionale Sanctorum anno 13. ejusdem Claudii, & Lactantius tempore Neronis. Ergo &c.

℟. Variationem in casu esse quoad accidentalia, in substantia enim itineris conveniunt omnes. Quot autem sunt facta ab omnibus quoad substantiam admissa, de quorum tempore est discrepantia inter Historicos? An dicenda commentitia mors Christi, quia de anno, quo contigit, litigatur inter Auctores? Ergo &c.

Quo-

(a) *lib. 3. Cap. 1.* (b) *lib. de Baptis.*
(c) *lib. 3. Hist. Cap. 1.*

Quoniam autem hoc sufficit ad difficultatis solutionem, examinandum hic non suscipiam quæstionem hanc chronologicam. Indicasse sufficiat probabiliorem videri sententiam Eusebii & Hieronymi; primo quia hæc est communior apud antiquos; secundo quia hæc facile conciliari potest cum sententia Orosii; nam annus 2. Claudii poterat etiam dici initium Imperii ejus, & cum sententia Lactantii, hanc intelligendo non de primo adventu S. Petri, sed de subsequentibus. Fasciculus porro & Passionale sunt libri nullius fere apud eruditos auctoritatis: tertio quia hac posita facile reperiuntur 25: anni, quibus Petrum Romæ sedisse docent plurimi antiqui; ab anno enim 2. Claudii, qui regnavit 14. annis, usque ad 12. vel 13. Neronis ejus successoris, a quo occisus est S. Petrus, 25. anni numerantur.

Assertio secunda. *S. Petrus fuit peculiaris Episcopus Romanus.*

Dictum est *peculiaris*, ut indicetur non solum fuisse Episcopum Romanum titulo Apostolatus, qui episcopale munus ubique tribuebat, sed etiam quia peculiariter illam Civitatem elegit, in qua figeret Sedem suam.

Prob. ex Patribus, qui uno ore id fatentur. I. S. Cyprianus (a) loquens de electione Cornelii in R. Pontificem inquit; *factus est autem Cornelius Episcopus, ... cum Fabiani locus, idest cum locus Petri, & gradus Cathedræ sacerdotalis vacaret*. II. S. Hieronymus ad Damasum: (b) *Beatitudini tuæ, idest Cathedræ Petri, communione consocior*. III. S. Augustinus, (c) *Cathedra tibi quid fecit Ecclesiæ Romanæ, in qua Petrus sedit, & hodie Anastasius sedet?* IV. S. Petrus Chrysologus epistola ad Eutychetem: (d) *in omnibus hor-*

ta-

(a) *Ep.* 52. (b) *Ep.* 57. (c) *Lib.* 2. *contr. Litt. Petilian. C.* 50. (d) *Tom.* 7. *Bibliot. PP.*

tamur te, ut his, quæ a beatissimo Papa Romanæ Civitatis scripta sunt, obedienter attendas, quoniam B. Petrus, qui in propria Sede vivit & præsidet, præstat quærentibus Fidei veritatem. Hos autem intelligendos esse de peculiari Episcopatu & Sede, patet ex quo, si de Episcopatu generali fundato in præciso Apostolatu loquerentur, non potius Roma, quam alia quælibet Civitas posset dici Sedes Petri. Ergo &c.

Obj. ex Scriptura. I. S. Petrus (a) fuit destinatus ad prædicandum Judæis. Ergo non debuit figere peculiarem Sedem sui Episcopatus Romæ, quæ erat urbs Gentilium.

II. Si Romæ fixisset Sedem suam, jam ibi fuisset, & cum Paulus scripsit epistolas ad Romanos, ad Philippenses, & ad Titum, & cum Romam adventavit. (Nota epistolas istas & adventum S. Pauli Romam consignanda esse ætati Neronis, ante quem ex supra dictis S. Petrus Romæ fixerat Sedem suam.) Hoc non; nam scribens S. Paulus ad Romanos (b) pluribus nominatim salutem dicit nulla Petri mentione facta, illum sane non omissurus, si ibi fuisset: ad Philippenses Roma scribens (c) accusat omnes, qui ibi erant, excepto Timotheo, Petrum sane quoque excepturus, si ibi fuisset: & scribens ad Timotheum Roma dicit (d) se ab omnibus derelictum, quod de Petro, si ibi fuisset, non asseruisset. Pariter in actis Apostolorum (e) narratur Christianos Romæ degentes obviam Paulo Romam adventanti ivisse, nulla Petri facta mentione, & ibidem dicitur Judæos Romæ degentes quæsisse a Paulo, quid sentiret de secta Christianorum, indicio ipsos non fuisse de hac Religione instructos, quod non contigisset, si Petrus ibi habuisset Sedem suam; nam tunc jam audivissent eum prædicantem Ergo &c.

III.

(a) *Gal.* 2 (b) *Cap.* 16. (c) *Cap.* 2.
(d) 2. *Timoth.* 4. (e) *Cap.* 28.

III. S. Paulus, qui (a) dicit se cum Petro Antiochiæ & Hierosolymis fuisse, numquam dixit se cum illo fuisse Romæ. Ergo &c.

℟. Ad I. S. Petrum ratione Apostolatus debuisse quidem Judæis prædicare, ut de facto prædicavit: cum porro Romæ etiam essent Judæi, poterat Romam proficisci illis prædicaturus. Sed cum esset præterea summus Christi Vicarius, debuit prædicare etiam Gentilibus, de quorum quoque salute debebat esse sollicitus, tum etiam aliquam particularem Civitatem eligere, in qua figeret Sedem suam, illamque successoribus relinqueret, ad quod Romam elegit opportunissimo consilio, ut quæ Civitas caput erat Imperii totius Orbis, esset etiam caput Religionis.

Ad II. ℟. Prænotando S. Petrum, postquam Romæ fixerat Sedem suam, non semper ibi moratum fuisse, sed pluries inde discessisse tum ad disseminandum Evangelium in finitimis regionibus, ut docet etiam S. Epiphanius, (b) tum quando a Claudio cum aliis Judæis fuit Roma expulsus. Hoc posito fere ad omnes difficultates objectas responderi potest, fortasse S. Petrum in allatis circumstantiis Roma per accidens abfuisse, quo posito nil mirum si de Petro ibidem non fiat mentio. Sed præterea etiam ad singula ℟. fortasse Paulum ad S. Petrum epistolas peculiares scripsisse, quibus positis non erat, cur in epistola illa communi ad Romanos Petrum commemoraret: imo id consuevisse fieri a S. Paulo erga Episcopos particularium Civitatum, conjiciunt aliqui ex quo ad Corinthios, Galatas, Ephesios, & Thessalonicenses scribens, nunquam ipsorum Episcopos expresse commemorat. In epistola ad Philippenses non loquitur de omnibus generatim, sed de iis, quos poterat ad eosdem Philippenses mittere, inter quos non erat S. Petrus: ut omittam per *omnes* posse usitato more Scripturarum intelligi plures. In epistola ad Timotheum dicit se derelictum ab

(a) *Gal.* 1. & 2. (b) *Hæres.* 27. *vel* 7.

ab omnibus, qui potuissent ipsum juvare apud Cæsarem, cujusmodi non erat Petrus, qui æque ac Paulus erat Cæsari invisus. Cum dicitur Paulo obviam plures ivisse, fortasse ivit & Petrus; nam dicitur generaliter obviam ivisse fratres, inter quos quare non potuit esse ipse Petrus? Tandem Judæi, qui Paulum interrogaverunt, non fuerunt Judæi conversi ad Christum (quos tamen non paucos antea Romæ fuisse, probat epistola ejusdem Pauli ad illos antea directa,) sed fuisse Judæos adhuc infideles, qui cum aliqua de Fide Christiana audivissent ex epistolis Judæorum Hierosolymitanorum, Pauli, quem doctissimum existimabant, mentem de hac re cognoscere postularunt.

Ad III. ℟. S. Paulum, cum scripsit epistolam ad Galatas, nondum fuisse Romæ: postquam vero fuit, etsi cum Petro conversatus fuisset, non erat necesse, ut id commemoraret. Ergo &c.

Assertio tertia. *S. Petrus Episcopatum Romanum retinuit ad mortem usque.*

Prob. ex Patribus. I. S. Hieronymus (a) inquit: *Simon Petrus post Episcopatum Antiochensis Ecclesiæ . . 2. Claudii anno . . . Romam pergit, ibique 25. annis Cathedram sacerdotalem tenuit usque ad ultimum Neronis, quo fuit occisus.* II. communiter Patres Sedem Romanam vocant Sedem Petri, illam dicunt propterea gaudere Primatu, quod indicat ibi eum usque ad mortem sedisse. Nam etiam sibi primo elegerat Civitatem Antiochenam, sed quia eam postea deseruit, Romamque transtulit Sedem suam, Antiochena Sedes non dicitur simpliciter Sedes Petri, nec fruitur Primatus honore. Ergo si ex Patribus Romana Sedes dicitur simpliciter Sedes Petri, si Primatus gaudet honore, illam retinuit Petrus usque ad mortem.

Prob. ratione. Si Petrus non retinuisset Sedem Romanam usque ad mortem, jam ignoraretur ubi esset Sedes Primatus, qui juxta formam gubernii mo-

(a) *In Catalog. script. Eccles. in Petro.*

monarchici fuit a Christo in Ecclesia institutus, ut supra probavi. Nam cum Petrus jam dimisisset Episcopatum Antiochenum, & cum postea in hac hypothesi etiam Romanum dimisisset, jam non fuisset amplius ullibi peculiaris Episcopus. Quinam ergo illi in Primatu succederet?

Obj. ex Patribus, S. Hieronymus explicans illud Christi ad Judæos: *Ecce ego mitto ad vos Prophetas, & ex illis occidetis &c.* inter istos commemorat Petrum & Paulum. Ergo existimat illos in Judæa occisos. Etsi ergo Petrus Romanum Episcopatum fundasset, illum postea reliquit, aliumque in Judæa fundavit, ubi etiam mortuus est.

℟. Primo potuisse S. Petrum adhuc actu retento Romano Episcopatu mori extra Romam; quot enim Episcopi extra propriam Ecclesiam moriuntur? Quod maxime de Apostolis dicendum esset, qui ratione Apostolatus huc illucque debebant vagari ad prædicandum Evangelium. ℟. secundo S. Hieronymum non asserere Petrum & Paulum occisos fuisse a Judæis, cum expresse in Catalogos Scriptorum ecclesiasticorum asserat illos occisos Romæ, sed tantum recensere varia genera mortis, quibus Apostoli & Prophetæ occisi sunt.

Obj. ex historia. Ex hac certum est Judæos omnes fuisse a Claudio Roma expulsos. Fuit ergo expulsus etiam S. Petrus. Non ergo potuit retinere Romanum Episcopatum ad mortem usque.

℟. fuisse quidem Roma expulsum & Petrum, sed non ideo ipsum deposuisse Romanum Episcopatum, imo illum semper retinuisse, & ad illum postea rediisse, ut alii Judæi expulsi Romam redierunt. Hos autem alios Judæos Romam rediisse patet ex quo Paulus (a) Corinthi invenit Aquilam & Priscillam Judæos Roma pulsos a Claudio, deinde post aliquot annos ad Romanos scribens salutari jussit Aquilam & Priscillam Romam jam reversos.

AR-

(a) *Act.* 18.

ARTICULUS QUINTUS.

Assertio. R. *Pontifices Primatum jurisdictionis habent in tota Ecclesia de jure divino.*

Prob. ex dictis. S. Petrus habuit hunc Primatum. Cum autem hic Primatus fuerit institutus, ut provideretur regimini monarchico Ecclesiæ, quod semper est duraturum, debuit propterea hic durare perpetuo. Ergo transire ad Successores S. Petri. Tales sunt ex supra dictis R. Pontifices. Ergo &c.

Prob. ex sensu Ecclesiæ. Hæc ita Deum in Missa precatur. *Famulum tuum N. N., quem Pastorem Ecclesiæ tuæ præesse voluisti, propitius respice; da ei quæsumus verbo & exemplo quibus præest proficere, ut ad vitam una cum grege sibi credito perveniat sempiternam.* Et Florentinum ita definit: (a) *Definimus R. Pontificem in universum orbem tenere Primatum, & ipsum Pontificem R. successorem esse B. Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ Caput, & omnium Christianorum Patrem & Doctorem existere, & ipsi in B. Petro pascendi, regendi, & gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse.* Ergo &c.

Prob. ex historia, ex qua constat R. Pontifices actus jurisdictionis semper exercuisse in tota Ecclesia non reclamantibus, imo approbantibus SS. Patribus, & Episcopis. (Hanc autem jurisdictionem a Deo habuisse patet ex quo in nullo humano jure ipsam fundaverint). I. Refert S. Athanasius, (b) S. Dionysium Patriarcham Alexandrinum, adeoque primæ Sedis post Romanam, apud Dionysium R. Pontificem accusatum fuisse quasi de Filio Dei male sentiret: R. Pontificem ab ipso accusationis rationem postulasse, ipsum autem se ac-

(a) *In litter. union.* (b) *Lib. de Synod. Arimin. & Seleuci.*

accusatione datis libellis apologeticis purgasse. II. Testatur S. Basilius (a) Eustathium Sebastenum a Concilio Melytinensi exauctoratum in Sedem suam restitutum esse jussu Liberii R. Pontificis. III. S. Chrysostomus (b) R. Pontificem rogavit, ut rescinderet exauctorationis sententiam in se latam a Teophilo Alexandrino, utque censuris inimicorum suorum audaciam frangeret. Ergo &c.

Obj. ex Conciliis I. In Niceno I. limitata est jurisdictio Episcopi R. ad aliqua tantum loca; nam cum aliquæ tantum Provinciæ subjiciantur Episcopo Alexandrino, dicitur hoc eodem modo fieri cum Episcopo R. (c) *Antiqua consuetudo servetur, ut sicut ille* (Episcopus Alexandrinus) *Ægypti, ita hic* (Episcopus R.) *suburbicariarum Ecclesiarum curam habeat*. Hæc autem limitatio locum non haberet, si jurisdictionem haberet R. Pontifex in Ecclesia de jure divino.

II. In Sardicensi hæc habentur (d) *Si appellaverit Episcopus, qui dejectus videtur, & confugerit ad Beatissimum Romanæ Ecclesiæ Episcopum: si justum putaverit, ut renovetur examen, scribere his Episcopis dignetur Episcopus R., qui in finitima & propinqua altera Provincia sunt, ut ipsi diligenter omnia requirant, & juxta fidem veritatis definiant*. Ubi, ut patet, limitatur jurisdictio R. Pontificis ad imperandam tantum revisionem causæ, cum statuatur, ut ultima definitio fiat in Concilio provinciali.

III. Constantinopolitanum I. ad Synodos provinciales omnes causas ultimo deferri vult; hæc enim habet: (e) *Manifestum est, quod per singulas Provincias Synodus provinicalis administrare & gubernare omnia debet secundum ea, quæ sunt in Nicæa constituta*.

IV.

(a) *Ep.* 74. (b) *Ep.* 1. *ad Innocent.*
(c) *Can.* 6. (d) *Can.* 7. (e) *Can.* 2.

IV. Chalcedonense (a) statuit, ut Clerici in propriis causis judicentur vel a proprio Episcopo, vel a Synodo provinciali, vel a Primate diœcesis, vel tandem ab Episcopo Constantinopolitano: ubi nulla de R. Pontifice fit mentio, utique facienda, si hic haberet Primatum; nam hic in casu esset ultimus Judex.

V. In Concilio Milevitano II. ab Innocentio I. approbato (b) statuitur nullum posse appellare ab Episcopo nisi ad Africana Concilia, vel ad Primates Provinciarum. Ergo non agnoscitur Primatus in R. Pontifice, alias ad illum posset appellari.

R. ad I. probabiliter canonem ita esse legendum: *Antiqua consuetudo servetur per Ægyptum, Libyam, & Pentapolim, ita ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, quia & Urbis Romæ Episcopo parilis mos est*, Ita esse legendum suadet, quod ita lectus fuit in Concilio Chalcedonensi, ita in Carthaginensi VI., ita a Dionysio Exiguo. Sensus igitur canonis est. Habeat Episcopus Alexandrinus curam dictarum Provinciarum, quoniam Episcopus R. consuevit & ipse curam habere subditarum sibi Provinciarum, idest totius Ecclesiæ, vel quoniam consuevit Episcopus Romanus has Provincias Episcopo Alexandrino committere. De suburbicariis autem Ecclesiis nihil dicitur. Ergo &c. Responderi etiam potest retenta priori lectione, Nicænum comparare Episcopum Alexandrinum cum Romano in Patriarchatu, quo præcise inspecto non habet jus nisi in aliquas Ecclesias. At cum hic non solum sit Patriarcha, sed etiam primus in ecclesiastica Hierarchia, ideo omnes Ecclesias sibi subditas habet. Quod ut clarius intelligatur, tres præcipue dignitates in R. Pontifice distinguere oportet, Episcopatum scilicet Romanum, Patriarchatum Occidentis, & summum Pontificatum. Primo modo curam habet peculiaris diœcesis Romanæ: secundo aliquas Occidentis Provin-

(a) *Can.* 9. (b) *Can.* 22.

vincias: tertio totam Ecclesiam subditam habet. Cum igitur Nicænum asserit R. Pontifici potestatem in Ecclesias suburbicarias, de potestate loquitur patriarchali. quam sane, ut a Primatu distinguitur, non habet ex jure divino. Cæterum canone VI. Nicæno non infirmari, sed confirmari Primatum R. Pontificis, probatur ex Chalcedonensi, in quo (a) recitationi ejusdem canonis est hoc præmissum: *Quod Ecclesia Romana semper habuit Primatum*, quo audito dixerunt Patres: *Perpendimus omnem quidem Primatum, honoremque præcipuum secundum canones antiquæ Romæ Archiepiscopo conservari*. Ergo &c.

Ad II. ℟. ibidem solum assignari modum, quo R. Pontifex se potest gerere in adductis casibus ad reddendum Episcopis jus suum, non autem negari ipsum posse eorum causas per se recognoscere & judicare.

Ad III. ℟. ibidem assignari Synodum provincialem ut Judicem ordinarium, de Judice vero supremo nihil statui.

Ad IV. ℟. & ipsum Chalcedonense loqui de Judicibus ordinariis, præscindere autem ab extraordinario.

Ad V. ℟. primo canonem loqui tantum de Presbyteris & inferioribus Clericis: statuit nempe, ut isti non appellent ad alia Tribunalia, nisi ad localia, & hoc non quia nequiret Tribunal summi Pontificis de his judicare, sed quia horum causæ poterant facilius a Superioribus localibus definiri, quam a R. Pontifice absente, & plerumque illarum non satis conscio. ℟. secundo cum Natali Alexandro, canonem prohibere inferioribus Clericis appellationes, quando per saltum appellabant, idest non prius audito judicio suorum Prælatorum. Probat hoc Natalis ex canone prout est exaratus in codice ab Adriano I. misso ad Carolum Magnum, ubi hæc habentur: *Ut Clerici, qui ad transmarina non*

ad

(a) *Act.* 16.

ad Primates suarum Provinciarum provocaverint, in communionem non recipiantur. Ubi etiam noto canones Africanos ab Ecclesia Romana non fuisse admissos, nisi quatenus a doctrina & usu ipsius R. Ecclesiæ non discrepabant, ut testatur ibidem Adrianus. Usus autem Romanæ Ecclesiæ & Romanorum Pontificum fuit appellationes etiam inferiorum Clericorum suscipere, ut suscepit Cælestinus I. appellationes Clericorum Eccelsiæ Constantinopolitanæ, qui a Nestorio e proprio gradu dejecti ab ipso Cælestino in pristinum gradum sunt restituti: ut suscepit S. Leo appellationes Clericorum Alexandrinorum a Dioscoro depositorum; imo S. Gregorius Magnus (a) meminit appellationis ad suum Tribunal Felicissimi & Vincentii Diaconorum Africanorum.

Obj. ex ipsis summis Pontificibus I. Cum in Concilio Capuano Hæretico Bonoso Judices essent deputati, rogatus est Syricius R. Pontifex, ut judicium hujus causæ assumeret, quibus ille respondit (b): *Advertimus, quod nobis judicandi forma competere non posset*: quomodo autem id dixisset posito Primatu?

II. S. Gregorius Magnus (c) respuit titulum *Episcopi universalis*, addendo nullum decessorum suorum tam prophano vocabulo usum fuisse. Ergo &c.

℟. Ad I. (si vere est Syricii illud responsum, quod non est certum) duabus de causis Syricium recusasse ferre judicium in causa Bonosi: una fuit, quia volebat, ut hi primo judicarent, quibus id a Synodo fuerat commissum; dicit enim: *Ideo primum est, ut ii judicent, quibus judicandi facultas est data*: secunda fuit, nè, si ipse judicaret, videretur judicare non auctoritate propria, sed quasi auctoritate sibi tradita a Concilio, quod indicant ipsius verba: *Vos totius Synodi vice decernitis, nos quasi ex auctoritate Synodi judicare non convenit*. Cæterum Innocentius I. Syricii successor rogatus ab Epi-

(a) *Lib.* 1. *Ep.* 84. *al.* 82. (b) *Ep. ad Anysium & Illiri. Episc.* (c) *Lib.* 4. *Ep.* 43. *al.* 36.

Episcopis Macedoniæ, ut quæ circa Bonosum statuta erant confirmaret, decretum illorum rescidit (a), quo in communionem recipiebantur ordinati ab eodem Bonoso.

Ad II. ℟. S. Gregorium eo solum sensu nomen illud rejecisse, quo denegaretur nomen Episcopi aliis Episcopis. Constat ex ipsius verbis; quibus hanc reddit rationem: *Ne si unus Patriarcha universalis dicatur, Patriarcharum nomen ceteris derogetur*. Illum autem titulum absolute R. Pontifici convenire patet ex Chalcedonensi illum tribuente S. Leoni

Obj. ex Patribus I. Alii dicunt omnes Episcopos esse successores Petri. Ita S. Cyprianus (b): *Dominus noster Episcopi honorem disponens in Evangelio loquitur & dicit Petro: Ego dico quia tu es Petrus: inde per temporum & successionum vices Episcoporum ordinatio*.

II. Alii dicunt omnes Episcopos esse Vicarios Christi: ita S. Bernardus, qui (c) reprehendens quosdam Monachos, qui se ab obedientia Episcopi subtraxerant, *Ite nunc*, inquit, *resistere Christi Vicario*.

III. Alii dicunt omnibus æqualiter Episcopis esse commissam curam Ecclesiæ universalis. Ita S. Ignatius Martyr, qui ait (d): *Conspecto vestro Episcopo cognovi, quod non a se ipso, neque per homines ad dignitatem evectus est, ut susciperet ministerium hoc communis Ecclesiæ*. Et S. Cyprianus ait (e) *unum esse Episcopatum, cujus pars singulis in solidum tenetur*.

IV. Alii dicunt Episcopos posse imperare toti Ecclesiæ, ut S. Gregorius Nazianzenus, qui de S. Athanasio loquens ait: *Leges etiam rursus Orbi terrarum præscribit*,

(a) *Ep. 22. ad Rufum*. (b) *Ep. 27.*
(c) *Ep. 1. 2.* (d) *Ep. 6. ad Philadelph.*
(e) *De unitate Eccl.*

V. Alii dicunt nullum Episcopum (adeoque nec Romanum) dici debere Epsicopum aut Judicem Episcoporum. Ita S. Cyprianus, qui ait (a): *Neque quisquam nostrum Episcopum se esse Episcoporum constituit*, ubi etiam addit judicium Episcoporum soli Deo esse reservandum. Ergo &c.

℟. Ad I. omnes Episcopos dici posse successores S. Petri in gradu Episcopali, quatenus ipse totius ecclesiastici Ordinis fons est & origo: at non ideo possunt dici ipsius successores in Primatu.

Ad II. ℟. Omnes quidem Episcopos dici posse Vicarios Christi, sed diversimode a R. Pontifice; hic enim est Vicarius universalis, illi particulares. Ita Regis sunt Vicarii & Prorex, & simplices Gubernatores Civitatum; at ille est Vicarius supremus & universalis, hi particulares & subordinati universali. A pari &c.

Ad III. ℟. Omnes quidem Episcopos gerere curam Ecclesiæ universalis ratione charitatis, qua illius bono consulere debent psæcipue in ipsius necessitatibus, non vero ratione jurisdictionis, quam universaliter in illa habeant. Hoc autem modo explicari debet S. Ignatius, vel etiam dicendo illum per *Ecclesiam communem* non intellexisse Ecclesiam universalem, sed particularem illam Ecclesiam, quæ erat communis iis, ad quos scribebat. Porro quamvis cum S. Cypriano dicamus Ecclesiam esse unum Episcopatum ratione communionis membrorum inter se, nihil tamen vetat, ne plures gradus in hoc Episcopatu asseramus, in quorum supremo R. Pontificem constitutum propugnemus.

Ad IV. ℟ Leges, quas toti Ecclesiæ dedisse Athanasium scribit Nazianzenus, nihil aliud fuisse nisi Ecclesiæ dogmata contra Arianam præcipue hæresim, quæ S. Athanasius omnibus Fidelibus proponebat.

Ad V. ℟. S. Cyprianum solum loqui de Episcopis in Concilio Charthaginensi congregatis. Patet ex con-

(a) *Præfat. in Concil. Chartag.*

contextu. Alio loco Cyprianus debet explicari de rebus internis, vel etiam externis, sed occultis, in quibus solus utique Deus potest Episcopos judicare; quoad alia enim certum erat etiam per eundem Cyprianum Episcopos a suis Metropolitanis, & a Conciliis posse iudicari.

Obj. ex historia I. Cum S. Cyprianus quosdam Clericos excommunicasset, atque hi ad Cornelium Papam confugissent, a quo examinatum fuerat, an essent nec ne recipiendi, graviter de hoc conquestus est S. Cyprianus (a), & asseruit statutum esse, *ut causa illic audiatur, ubi admissum est crimen, nec minorem esse auctoritatem Africanorum Antistitum, quam aliorum*, quod non asseruisset si ad R. Pontificem pro ratione Primatus possent deferri judicandæ causæ etiam ab aliis judicatæ. Imo cum duo Episcopi Basilides & Martialis a Concilio Hispano Provinciæ Beticæ depositi ad Stephanum R. Pontificem confugissent, ab eoque in communionem recepti essent, idem S. Cyprianus scripsit ad Episcopos Hispanos illos debere primo judicio adhærere neglecto judicio summi Pontificis.

II. Cum Innocentius I. Bubali & Tauriani in Synodo Macedoniæ damnatorum causam retractasset, de illa novitate conquesti sunt illius Provinciæ Episcopi. Quis autem conqueratur, quod Judex superior retractet causas ab inferioribus judicatas?

III. Cum celebranda esset Synodus Charthaginensis VI., cui ipse quoque S. Augustinus interfuit, Zosimus Papa Legatum misit, qui inter alia urgeret observationem canonis Nicæni, (seu verius Sardicensis) quo appellationes ad R. Pontificem commendabantur. Responderunt Africani Patres se nihil posse circa hoc definire, nisi prius de existentia canonis constaret. Interim vero Bonifacio Zosimi successori scripserunt obedientiam canoni promittentes, si inveniretur, si secus, asserentes appellationes se non esse passuros. De facto canon inventus non est, adeoque Cælestino, qui Bonifacio

 suc-

(a) *Ep.* 55. *ad Cornel.*

successerat, rem exposuerunt ipsum rogantes, ne appellationes susciperet; imo ipsius Legato ab eo in Africam misso, ut sententia ab ipso lata in favorem Appiarii cujusdam Presbyteri (qui ad Sedem Apostolicam a judicio Episcoporum appellaverat, & ab ea fuerat in gradum pristinum restitutus) executioni demandaretur, acriter restiterunt. Hæc sane probant Africanos Antistites Primatum in R. Pontifice ex jure divino non agnovisse, cum appellationes ad ipsum reprobaverint, ex quo de ipsis non constaret in sacris canonibus.

IV. S. Hilarius Arelatensis nihil non est molitus, ut evocationes & appellationes ad Romanam Sedem impediret: quod idem præstitit Hincmarus Remensis, indicio sane hos doctissimos Præsules non agnovisse in R. Pontificibus Primatum. Ergo &c.

℟. Ad I. S. Cyprianum ita loqui, quatenus qui ad Cornelium confugerant, erant simplices Presbyteri, quorum appellationes ad R. Pontificem ex Africanæ Ecclesiæ legibus non debebant admitti proportionaliter ad supra dicta. Ad id, quod additur, ℟. non ideo S. Cyprianum asserere Episcopos Hispanos debuisse in primo judicio subsistere, quia Stephanus jus non haberet causam recognoscendi, sed quod hic deceptus fuisset a Basilide, qui per dolum absolutionem sui extorserat (a). Imo ex hoc facto manifeste evincitur jus, quod habet R. Pontifex de omnibus causis ecclesiasticis judicandi, etsi prius in alio Tribunali judicatis; non enim Stephanus acerrimus jurium ecclesiasticorum vindex hoc judicium suscepisset, nisi in ipso hoc jus adfuisset.

Ad II. ℟. Episcopos Macedoniæ non esse conquestos de retractatione causæ Episcoporum damnatorum, sed quod hi epistolas Pontificis supposuerant, quibus gloriabantur se apostolicæ Sedis communione frui. Constant hæc ex ipso Innocentio (b).

Ad III. ℟. Non dubitasse Africanos Patres, ne absolute loquendo posset appellari ad summum Pontifi-

(a) *Ep.* 68. *Cyprian.* (b) *Ep.* 7.

tificem, sed contendebant non expedire, ut ipse has appellationes susciperet, tum quia causæ poterant melius finiri apud Judices locales, qui melius illarum meritum noverant, tum quia ipsi Episcopi habebant assistentiam Spiritus S. illos in causis ad ipsorum Tribunal spectantibus dirigentis. Contendebant pariter summos ipsos Pontifices proprio juri quoad hoc cessisse, dum confirmarunt Nicænum, in quo causæ sive inferiorum Clericorum, sive Episcoporum committuntur Metropolitanis. Hisce de causis appellationes improbarunt: præcipue cum ad adstruendum usum talium appellationum R. Pontifices illorum temporum non desumpserint motivum a propria dignitate, sed a canone quodam Africanis ignoto. Cæterum ipsos existimasse posse R. Pontificem in causis omnibus ecclesiasticis judicare, patet ex S. Augustino, qui, ut dictum est, fuit unus ex Patribus Concilii, de quo supra; is enim (a) Cælestinum Papam rogavit, ne in suam Sedem restitueret Antonium Fussalensem ab Africana Synodo exauctoratum. Hoc autem satis indicat Augustinum in Pontifice agnovisse auctoritatem judicandi in causis jam per Judices locales definitis: quod idem de aliis quoque Africanis Patribus non imprudenter existimare possumus,

Ad IV. ℟. Nihil his exemplis colligi. Restitit quidem S. Hilarius Romanis evocationibus & appellationibus, sed id fecit injuste, & ob id tum a S. Leone Magno, tum ab Imperatoribus Theodosio, & Valentiniano graviter fuit reprehensus. Resipuit tamen ab errore, & sancto fine quievit. Restitit pariter Hincmarus, sed & ipse injuste, nixus scilicet antiquis canonibus præcipue Nicænis & Africanis, qui, ut supra ostensum est, nihil probant contra evocationes & appellationes ad Papam: nixus pariter antiquæ, ut ipse dicebat, consuetudini, quæ tamen perperam ab ipso adstruebatur, cum innume-

(a) *Ep. olim* 26. *l. nunc.* 209.

ra possent adduci exempla in contrarium, quorum aliqua supra relata sunt.

CAPUT SECUNDUM.

De Praeminentia R. Pontificis in Ecclesiam.

QUatuor hoc capite præstabo: 1. illa adnotabo, quæ ad intelligentiam quæstionis sunt necessaria: 2. probabo gubernium Ecclesiæ esse perfecte monarchicum: 3. ostendam summum Pontificem esse Concilio generali superiorem, quod etiam ab adversariorum objectis vindicabo, omissis quæ ex Concilio Constantiensi & Basileensi deducuntur; hæc enim utpote prolixioris examinis digna specialiter afferam & dissolvam: 4. loco.

ARTICULUS PRIMUS.

Cum Fideles conjunctim sumpti constituant Ecclesiam, cumque hæc in Concilio generali repræsentetur, hinc quæstio: *utrum R. Pontifex sit superior omnibus Fidelibus conjunctim sumptis*: aliis etiam terminis proponi solet, idest *utrum Papa sit superior Ecclesia*, sive, ut frequentius dici solet, *utrum sit superior Concilio generali*. His proinde formulis, utpote in idem recidentibus, in decursu hujus capitis utar indiscriminatim prout se obtulerit occasio.

Concilium autem generale dupliciter spectari potest, & prout Episcopos comprehendit simul cum R. Pontifice, & prout solos complectitur Episcopos R. Pontifice non considerato. De Concilio primo modo inspecto non est hic sermo; quærere enim utrum R. Pontifex sit superior Concilio hoc modo inspecto, idem esset ac quærere utrum sit superior se ipso. Consideratur ergo Concilium secundo modo.

Aliquando Concilium esse superius Papa hoc saltem sensu, quod possit illum judicare, atque etiam deponere, certum est apud omnes. Casus autem sunt: primo si iste esset manifeste Hæreticus, secundo si esset Pontifex dubius. Tota quæstio reducitur

citur ad Papam extra hos casus consideratum. Cujus quidem quæstionis solutio ex eo maxime pendet, utrum gubernium a Christo in Ecclesia institutum sit perfecte monarchicum; si enim tale est, Papa, qui per omnes Catholicos est supremus Monarcha, erit nedum singulis, sed etiam omnibus simul sumptis Fidelibus superior, secus si secus. Galli nostrorum temporum fere communiter docent tale gubernium non esse perfecte monarchicum, sed esse mixtum Aristocratia, ita ut Episcopi omnes collectim sumpti sive in Concilio generali, sive extra R. Pontifice sint superiores. Ex hoc inferunt ultimum ac supremum Ecclesiæ Tribunal esse Concilium generale Ecclesiam repræsentans, adeoque si hoc aliquid decernat, etiam reluctante R. Pontifice, omnes Fideles, & ipse R. Pontifex decreto stare debent: posse a Concilio judicari summum Pontificem, non e contra: posse a Concilio irritari acta summi Pontificis, non e contra. Itali vero communiter, & fere communiter omnes alii Theologi volunt Monarchiam a Christo in Ecclesia institutam esse perfectam, adeoque illa omnia de R. Pontifice verificari volunt, quæ Galli de Concilio.

Antequam ergo directe quidquam statuatur circa superioritatem Papæ in Ecclesiam sive in Concilium, juvat statuere quid circa formam gubernii in Ecclesia a Christo institutam, quod ad præsens caput attinet, dicendum sit. Sit Ergo

ARTICULUS SECUNDUS.

Assertio. *Forma gubernii a Christo in Ecclesia instituti est perfecte monarchica.*

Prob. ex Scripturis. Ex his constat Petro & Successoribus omnes Fideles subjectos fuisse, ut supra est probatum: nullibi constat Petrum & Successores Fidelibus fuisse in aliquo casu subjectos, ut constabit solutione objectionum, quæ infra afferentur. Ergo &c.

Prob. ratione. Si alia forma gubernii fuisset a Christo pro Ecclesia instituta, non satis ipsius bono providisset. Quamvis enim detur posse bene

administrari Rempublicam civilem per aliam gubernii formam, ut optime fuit per Aristocratiam administrata Romana Respublica, & modo administratur Respublica Veneta, Lucensis, Genuensis &c., diversa tamen est ratio gubernii ecclesiastici. Hoc ut clarum fiat, noto quod etiam fatentibus Gallis si alia esset gubernii forma, nempe Aristocratia (hanc enim ipsi adstruunt) non esset potestas gubernativa penes singulos Episcopos, sed penes Episcopos conjunctim sumptos. Ut ergo ultimate definirentur Ecclesiastica negotia, oporteret illorum omnium haberi sententiam. Ad hoc autem sufficeret-ne si consistentes in propriis diæcesibus judicarent, an deberent simul congregari in Concilium? Primum incongruum est & multis incommodis obnoxium: incongruum quidem, quia cum plures debent ferre commune judicium de aliqua re, expedit ut simul communicent, & alter alterum audiat: obnoxium autem multis incommodis, quia distantia unius ab altero, distantia pariter ab iis locis, ubi vel disseminantur errores damnandi, vel sunt personæ judicandæ, aut necessario audiendæ, periculum inducit manifestum ne Judices decipiantur, & præterea tempus necessarium, ut omnia innotescant, quæ & pro & contra sunt adducenda, nimis protrahit causæ definitionem. Si autem alterum dicatur, peto rursus, debet-ne semper esse apertum Concilium, an congregari pro opportunitatibus? Primum manifestum involveret inconveniens, nam sic Episcopi semper deberent a propriis diæcesibus abesse magno Fidelium damno. Alterum autem & ipsum est difficillimum, & multis obnoxium difficultatibus. Præterquamquod enim & requiruntur itinera satis longa, immensa impendia, absentia Episcoporum a propris diæcesibus &c. est etiam notandum, quod licet antiquitus, cum pene totius Orbis uni Romano Imperio esset subjectus, non esset tam difficile annuentibus Imperatoribus Episcopos in unum cogere, cum tamen modo Christianus Orbis pluribus Principibus subjectus sit, quorum consensus ad celebrationem Conciliorum generalium si non de jure, sal-

tem

tem de facto requiritur; difficillimum est, ut omnes conspirent in celebrationem Concilii, aut saltem in locum, tempus, aliasque illius circumstantias, quod nimis experientia comprobavit omissis aliis in celebratione Tridentini, ad quod inchoandum, & inchoatum absolvendum plures anni fuerunt necessarii, innumeræque difficultates superandæ. Interim vero, dum expectatur adunatio Concilii, emergunt in dies ac dilatantur errores, invalescunt abusus, roborantur impii. Quis igitur credat summam rerum definiendarum potestatem uni Concilio Christum concessisse, & non potius statuisse supremum aliquod in una Persona Tribunal, quod semper vigeret, & ad quod omnibus semper aditus esset facilis & apertus?

Obj. ex historiis. Ex his constat Episcopos in Conciliis se gessisse ut Judices; nam passim ita subscripserunt. *Ego N. N. Episcopus definiens subscripsi*. Hoc autem esset falsum stante assertione; tunc enim Episcopi non essent Judices, sed solus Papa. Ergo &c.

R/. Stare utique assertionem cum potestate judicativa, quam exercent in Conciliis Episcopi. Cum enim congregantur Concilia, tunc Pontifex assumit Episcopos ut Judices, qui simul cum ipso ferant sententiam. Ut si E. G. Rex Galliarum in ferendo aliquo judicio delegaret inferiores Judices, qui simul cum ipso judicarent. Ut ergo in exemplo ex judicio lato ab istis Judicibus non infirmaretur suprema monarchica potestas Regis, quia talem potestatem judicativam daret Rex, adeoque judicium illorum non esset ratum nisi dependenter a voluntate Regis, ita in casu.

ARTICULUS TERTIUS.

Assertio. *Romanus Pontifex extra superius allatus casus est Concilio etiam generali superior.*

Prob. ex Scripturis. Ex his constat, ut ostensum est capite antecedenti, R. Pontificem esse superiorem omnibus Christi Fidelibus sumptis singillatim. Ergo etiam est superior omnibus sumptis conjunctim.

ctim. Prob. consequentia. Ideo primum, quia omnium Fidelium est R. Pontifex Caput & Pastor. Sed etiam est Caput & Pastor omnium Fidelium simul sumptorum. Ergo &c. Prob. minor. Nam præterquamquod ipsa Ecclesia R. Pontificem suum Caput & Pastorem agnoscit, ut constat ex probationibus supra adductis pro Primatu Papæ in Ecclesia: & Patres in Chalcedonensi adunati adeoque totam Ecclesiam repræsentantes ita ad S. Leonem R. P. scripserunt: *Quibus* (idest ipsis Patribus) *tu sicut membris caput præas*: est etiam advertendum, quod licet generaliter loquendo non valeat argumentum a distributivo ad collectivum, aliquando tamen valet. Tunc non valet, cum ratio, quæ militat pro distributivo, non militat pro collectivo, ut in hoc exemplo: *Dux Venetorum est superior singulis Senatoribus. Ergo etiam toto simul sumpto Senatu*; nam ratio superioritatis Ducis Venetorum supra singulos, non militat pro superioritate supra omnes conjunctim, cum hæc ratio deducatur ex libera voluntate Senatus, quæ, quamvis Duci dederit primam superioritatem, ut tamen servaret formam aristocratici regiminis, alteram denegavit. Tunc autem valet, cum ratio eadem, quæ militat pro distributivo, militat pro collectivo. Sic valet hoc: *Christus est singulis Fdelibus superior. Ergo etiam omnibus simul sumptis*, quia ratio superioritatis, quæ est in Christo deducta ex ipsius divinitate, tam militat pro omnibus simul quam pro singulis. In casu autem quæ ratio superioritatis est in Papa relate ad Fideles singulos, est etiam relate ad omnes simul, cum gubernium Ecclesiæ sit perfecte monarchicum, ut probatum est: unde sicuti ex confessione adversariorum superioritas Regis Galliarum nedum est supra singulos Gallos, sed etiam supra Gallos simul sumptos, quia gubernium Galliarum est perfecte monarchicum, ita in casu.

Prob. ex Conciliis. Constantinopolitanum IV. hæc habet (a): *Si Synodus universalis fuerit congre-*

(a) *Act.* 10. *Can.* 17.

gata, & facta fuerit etiam de Sancta Romanorum Ecclesia quævis ambiguitas & controversia, oportet venerabiliter & cum convenienti reverentia de proposita quæstione sciscitari, & solutionem accipere aut proficere, & profectum facere, non tamen audacter sententiam dicere contra summos senioris Romæ Pontifices. Non ergo Concilium est superius Papa, alias posset in ipsum sententiam dicere.

Prob. ex factis, & dictis doctissimorum & sanctissimorum Pontificum, qui licet in propria causa non sint credendi sibi arrogare voluisse quod eis non conveniebat. Quoad facta habemus factum S. Leonis Magni improbantis canonem XXVIII. Chalcedonensis, quo Primatus deferebatur Episcopo Constantinopolitano post Romanum: si enim S. Leo statutum generalis Concilii improbavit, se igitur illo superiorem ostendit. Nec valet quod reponit Natalis Alexander, S. Leonem non infirmasse hunc canonem, sed illum jam infirmum declarasse utpote contrarium canonibus Nicænis. Nam quamvis hic canon esset contrarius Nicænis, cum tamen res, de qua in illo agebatur, esset meræ disciplinæ, potuisset sane Chalcedonense ex se mutare dispositionem Nicæni, cum quæ ab uno Concilio in similibus statuta sunt, possunt ab alio Concilio mutari. Ergo &c. Quoad dicta. I. Nicolaus I. hæc habet (a): *Patet Sedis Apostolicæ, cujus auctoritate major non est, judicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio. Siquidem ad illam de qualibet mundi parte canones appellari voluerunt; ab illa autem nemo sit appellare permissus juxta quod & Bonifacius atque Gelasius Sanctissimi Præsules non suis adinventionibus, sed Ecclesiæ Romanæ consuetudinem non ignorantes dicunt.* II. Innocentius II. ait (b): *In tantum fides mihi necessaria est, ut cum de cæteris peccatis Deum solum judicem habeam, propter solum peccatum, quod in*

(a) *Ep. 8. ad Michael. Imperat.*
(b) *Serm. 2. de Consecrat.*

in Fide committitur, possem ab Ecclesia judicari. III. Clemens VI. inter 14. doctrinæ capita, quibus Armeni subscribere debebant, ut Romanæ Ecclesiæ sociarentur, hunc quoque proposuit (a): *Si credidisti & credis, quod in tantum fuerit, sit, & erit suprema & praeminens auctoritas & juridica potestas R. Pontificum, qui fuerunt, nostri, qui sumus, & illorum, qui in posterum erunt, ut a nemine judicari potuerint, potuerimus, neque in posterum poterunt: sed soli Deo judicandi servati fuerint, servemur, & servabuntur & quod a sententiis vel judiciis nostris non potuerit, neque possit, neque poterit ad aliquem alium Judicem appellari.* Hi omnes docent a nullo posse Papam judicari, quod, ut supra dixi, falsum esset stante adversariorum sententia. Ergo &c.

Prob. ratione. Gubernium Ecclesiæ est perfecte monarchicum. Ergo &c. Antecedens & consequentia patent ex dictis.

Obj. ex Scripturis I. Dicit Christus (b): *Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum . . . . . Si te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos . . . . Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Etnicus & Publicanus.* Ex quibus sic. R. Pontifex est frater noster. Sed fratres delinquentes sunt ad Ecclesiam deferendi. Ergo etiam R. Pontifex. Superior igitur ipso est Ecclesia, quæ illum potest corripere & judicare. Juxta quæ Silvester II. ait (c): *Constanter dico, quod si ipse R. Pontifex in fratrem peccaverit, sæpiusque admonitus Ecclesiam non audierit, hic inquam R. Pontifex præcepto Dei est habendus sicut Ethnicus & Publicanus.*

II. S. Petrus, quamvis superior singulis Apostolis, fuit tamen omnibus simul sumptis inferior; nam

(a) *Ordine 5. quod Raynald, ad an.* 1371.
(b) *Matt.* 18. (c) *Ep. ad Seguinum.*

nam dicitur (a) ab iis missus Samariam. Hæc autem missio inferioritatem in misso indicat. Ergo &c.

℟. Ad I. inter denunciandos Ecclesiæ non comprehendi R. Pontificem. Ostenditur. Nomine Ecclesiæ certum est venire hoc loco ecclesiasticos Superiores; ita enim hunc locum interpretantur omnes SS. Patres & Expositores, & ipsa praxis. Ecclesiastici autem Superiores vel considerantur singillatim, vel in unum conjuncti. Si primum; ut R. Pontifex esset huic delationi subjectus, oporteret ut aliquis esset ecclesiasticus Prælatus illi superior: non adesse autem concedunt & ipsi Galli. Si secundum, peto ab adversariis de quonam cœtu Prælatorum loquantur? De cœtu sane loqui debent, qui Ecclesiam repræsentet. At hic non est quicumque cœtus, sed cœtus Sacerdotum suo capiti conjunctorum. *Ecclesia*, inquit S. Cyprianus (b), *est plebs Sacerdoti adunata, & Pastori suo grex adhærens*. Cœtus igitur Sacerdotum suo capiti non unitorum non est Ecclesia, sed pars Ecclesiæ. Ut proinde summus Pontifex deferretur ad cœtum Ecclesiam repræsentantem deberet deferri ad cœtum etiam a semetipso constitutum, quod est impossibile cum, tunc ipse esset Judex & pars. Remanet ergo, ut quilibet alius a R. Pontifice illa dominica sententia comprehendatur, non tamen ipse; unde ad rem nostram S. Thomas inquit (c): *Quamvis Prælati sint corripiendi a subditis, non tamen est eis pœna infligenda, sed recurrendo ad Superiorem denunciando, vel si non habeat Superiorem recurrendo ad Deum, qui eum emendet vel de medio subtrahat*. Nec contra facit auctoritas Sylvestri II.; hæc enim non est hic attendenda, cum, quando adductam epistolam scripsit, nondum esset R. Pontifex, sed ab Archiepiscopatu Remensi R. Pontificis auctoritate depositus, in quem proinde erat male animatus. Ergo &c.

Ad

(a) *Act.* 8. (b) *Ep.* 69.
(c) *In IV. dist.* 19. *quæst.* 2. *art.* 2.

Ad II. ℟. S. Petrum missum fuisse ab aliis Apostolis Samariam non per imperium, sed per consilium, quo posito nihil contra assertionem; potest enim in Comitiis E. G. Regni decerni, ut Rex aliquid faciat, illum ad hoc hortando, quin ex hoo inferatur Regem esse Comitiis inferiorem. Ergo &c.

Ob. ex ipsis R. Pontificibus I. Ex his aliqui voluerunt sententias ab ipsis latas examinari ac confirmari in Conciliis generalibus. Ita S. Cælestinus I. post damnatum Nestorium voluit ut congregaretur Ephesinum, in quo iterum de Nestorii causa ageretur. Idem dicendum de S. Leone Magno, qui voluit denuo in Chalcedonensi examinari causam Eutychetis a se jam damnati.

II. Multi Pontifices confessi sunt se canonibus esse subjectos ac legibus Conciliorum. Ita S. Gregorius, (a) aliique.

III. Aliqui R. Pontifices asseruerunt se non posse hæc vel illa decernere, posse vero Concilia generalia. Ita Innocentius I. in causa S. Joannis Chrysostomi a Sede sua depulsi, qui ad illum confugerat, scribens ad Clerum Constantinopolitanum asserit, *necessariam esse Synodalem cognitionem ad causam illam integre finiendam*. Hanc eandem necessitatem agnoverunt Alexander III. in litteris convocatoriis Lateranensis III. Innocentius III. in litteris convocatoriis Lateranensis IV., Gregorius X. in litteris convocatoriis Lugdunensis II. Imo laudatus Innocentius III. rogatus a Galliarum Rege, ut ipsius matrimonium cum Isemburga dissolveret, respondit: *Non audemus in hujusmodi casu de nostro sensu pro te aliquid definire. Si super hoc absque deliberatione Concilii determinare aliquid tentaremus, præter divinam offensam, quam ex eo possemus incurrere, forsan ordinis & officii nostri periculum immineret*.

IV.

(a) *Lib.* 1. *Ep.* 25. *al.* 24

IV. Aliqui R. Pontifices asseruerunt Tribunal Ecclesiæ esse ultimum, ad quod confugiendum. Ita S. Gregorius Magnus, qui scribens ad Joannem Constantinopolitanum arrogantem sibi titulum Episcopi universalis ait: *Quidquid humiliter facere debui non omisi: sed quoniam in mea correctione despicior, restat ut Ecclesiam audire debeam*.

V. Pontifices aliqui se expresse asseruerunt Patribus Conciliorum inferiores, ut Leo III., qui loquens de Patribus sex priorum Conciliorum inquit: (a) *Ego me illis non dico præferam, sed etiam illud absit mihi, ut coæquare præsumam*. Ergo &c.

℟. ad I. vel definitiones R. Pontificum examini Conciliorum commissæ circa ea versantur, in quibus ipsi sunt fallibiles, & sic nil mirum si ita committuntur; in similibus enim difficilius est, ut erret Concilium plurimis doctissimis Judicibus constans, quam solus Papa. Sed hoc non arguit superioritatem Concilii in Papam, sicuti ex quo Rex sententiam a se latam, in qua ferenda potuit falli, tradat examinandam Judicibus a se delegatis, non sequitur istos esse Rege superiores: præcipue cum Papa talium judiciorum, quæ Conciliis exhibet examinanda, non removeat a se examen, sed pergat ipse denuo examinare cum Concilio, qui antea solus examinaverat. Vel hæ definitiones circa ea versantur, in quibus R. Pontifices sunt infallibiles, & ita pluribus modis res potest explicari salva superioritate Papæ in Concilium; primo enim hæ definitiones rigorose non proponuntur examinandæ, sed potius proponuntur ut normæ, quibus in suis judiciis Concilium dirigatur. Et de facto consueverunt Pontifices, cum Concilia congregarentur, prohibere ne aliter fierent definitiones, quam ipsi antea definissent: secundo etsi proponerentur Concilio examinandæ, non ideo proponerentur quia de illarum legitimitate dubitaretur, sed ut per ministerium Concilii eadem legitimitas de-

(a) *Collat. de Symbolo*.

demonstraretur, ut scilicet ostenderentur conformes Scripturis & Traditionibus, (quomodo conclusiones de Fide examinant Theologi, non quatenus de iis dubitent, sed quatenus conantur ostendere illarum conformitatem cum principiis Fidei) & ut illarum auctoritati, quæ sane intensive est maxima, adderetur etiam auctoritas maxima extensive, qualis est auctoritas Concilii: & tandem proponerentur, quia cum non sit certa de Fide infallibilitas Papæ se solo definientis, talis autem sit infallibilitas Papæ definientis cum Concilio, per hanc posteriorem definitionem tollitur quicumque dubitandi locus.

Ad II. ℟. primo aliquando etiam R. Pontifices testari se subjectos esse legibus prædecessorum suorum. Eruntne ergo posteriores Pontifices prioribus subjecti? Secundo ℟. canones aliquando decernere quæ alias jure naturali, vel divino sunt constituta, & tunc R. Pontifices sunt iis subjecti, non quatenus leges sunt Conciliorum, sed quatenus sunt præcepta juris naturalis, vel divini: aliquando ea decernere quæ solo juri ecclesiastico nituntur, & tunc non quidem ex submissione, sed ex æquitate quadam & convenientia tenetur Pontifex ea observare. Is scilicet posset absolute ea infringere, sed æquissimum est ut servet, tum quia magnam habent vim ad subditos movendos, ut legem observent, Principum exempla, tum quia plerumque ex legum abrogatione aut mutatione sequitur in Republica perturbatio. Ob id etiam legibus Regnorum suorum tenentur ipsi Reges. Unde S. Ambrosius ad Valentinianum ait (a) *Cum præscripsisti aliis, præscripsisti & tibi; leges enim Imperator fert, quas primus ipse custodiat*: & Theodosius (b): *Digna vox est majestate Regnantis legibus alligatum se Principem profiteri: adeo de auctoritate juris nostra pendet auctoritas. Et revera majus imperio est submittere legibus principatum.*

Ad

(a) *Ep.* 13. (b) *Leg.* Digna 4. *Cod. de leg.*

Ad III. ℟. Pontifices, qui necessitatem Conciliorum asseruerunt, eam asseruisse ubi erat examinanda aliqua quæstio facti, quæ difficile apud ipsum solum R. Pontificem potuisset agitari, ut erat quæstio de S. Joanne Chrysostomo, de quo quærebatur utrum esset reus criminum, de quibus accusabatur, & ipsius defensioni multa obstabant, scilicet quod Imperatorem & multos Episcopos adversarios haberet: vel cum ad finem aliquem consequendum adhibenda essent media a libera hominum voluntate dependentia, ut cum agendum erat E. G. de recuperatione Terræ Sanctæ, in quam recuperationem nisi conspirassent Principes sæculares, soli certe R. Pontifices vel nihil, vel parum proficere potuissent, & ita explicari debent locutiones Alexandri III., Innocentii III, , & Gregorii X.: vel eam asseruisse in casibus, in quibus tollendæ erant difficultates, quæ a solo R. Pontifice sine adjutorio aliorum Episcoporum superari non poterant. Aliquando etiam R. Pontifices asserentes necessitatem Conciliorum non de absoluta necessitate loquuntur, sed de majore facilitate res expediendi, quia, cum etiam antequam ipsi definiant aliquid circa res Fidei & morum, debeant consulere Scripturas, Traditionem &c., facilius hoc præstant adjuti Concilio generali. Innocentius porro III. prudenter adstruxit necessitatem Concilii, quia si injusta erat petitio Regis (quod ex quæstione facti dependebat, utrum scilicet matrimonium fuisset consummatum), repulsam pati debebat, ex qua ipsius indignationem nolebat Pontifex subire, ratus Regem sibi non indignandum, si hanc repulsæ excusationem adducere potuisset, quod secutus fuisset sententiam Concilii. Nisi dicere velimus caute difficultates nectisse Pontificem, ut Rex a petendis injustis desisteret.

Ad IV. ℟. S. Gregorium ideo solum hoc dixisse, quia, ut supra indicatum est, majorem vim extrinsecam haber judicium totius Ecelesiæ, cui proinde facilius cedunt pervicaces.

Ad V. ℟. Leonem se ex humilitate singulis Patribus priorum Conciliorum dicere inferiorem, ut ipsi

ipsi R. Pontifices se appellant servos servorum Dei. At aliud est cum de propria persona loquuntur ex affectu humilitatis, aliud cum loquuntur de dignitate personæ adnexa.

Obj. ex Patribus I. Clerus Romanus hæc habet: (a) *Firmum decretum esse non potest, quod non plurimorum assensum videtur habuisse*. Papa ergo solus non potest condere decretum tam firmum, quam potest condere Concilium. Hoc ergo est Papa superius.

II. Cum Donatistæ post sententiam in ipsos latam a Melchiade R. Pontifice conquererentur, quasi injuste damnati; ipsis respondit S. Augustinus (b) *superfuisse adhuc plenarium Concilium, ubi prius judicium emendaretur* (& de facto impetrarunt Concilium Arelatense, ubi eorum causa denuo est agitata).

III. Cum sæculo 3. orta esset controversia inter S. Cyprianum, & Episcopos Africanos ex una parte, & Stephanum Papam ex altera circa validitatem Baptismi ab Hæreticis collati, noluit Stephano acquiescere S. Cyprianus, qui tamen ex S. Augustino cessisset plenario Concilio. Sentiebat ergo S. Cyprianus majorem esse Ecclesiæ auctoritatem, quam Papæ. Imo id etiam sentiebat Augustinus, qui loco adducto affirmat nec se ipsum asserturum validitatem Baptismi ab Hæreticis collati, nisi id fuisset ab universali Concilio definitum. Hæc sunt verba S. Doctoris: (c) *Nec nos ipsi tale aliquid auderemus asserere, nisi Ecclesiæ universæ concordissima auctoritate firmati, cui & ipse Cyprianus sine dubio cederet, si jam illo tempore quæstionis hujus veritas eliquata & declarata per plenarium Concilium solidaretur*. Sentiebat ergo Augustinus post Tribunal Papæ aliud esse Tribunal, sci-

---

(a) *Ep. ad S. Cyprian. inter Cyprianic.* 31.
(b) *Epist.* 43. *olim.* 162.
(c) *Lib. 2. de Baptis. contr. Donatis. Cap.* 4.

scilicet Concilium generale, quod ideo agnoscebatur superius,

IV. Docet idem Augustinus claves, idest supremam potestatem ligandi, atque solvendi; a Christo non fuisse concessas immediate Petro, sed Ecclesiæ, ab ipsa postea ipsi Petro communicandas. Hæc sunt verba; (a) *Solus Petrus totius Ecclesiæ meruit gestare personam. Propter ipsam personam, quam totius Ecclesiæ solus gestabat, audire meruit: tibi dabo claves Regni Cœlorum; has enim claves non homo unus, sed unitas accepit Ecclesiæ. Hinc ergo Petri excellentia prædicatur, quia ipsius universitatis & unitatis Ecclesiæ figuram gessit, quando ei dictum est: tibi trado quod omnibus traditum est.* Ecclesia igitur ex Augustino est superior Petro, utpote quæ ipsi tradidit claves.

℟. ad I. dictum Cleri Romani esse etiam per ipsos Gallos emolliendum; acceptum enim ut jacet probaret non posse ex se R. Pontifices leges ferre, quod tamen nec ipsi admittunt. Debet ergo illud intelligi relate ad circumstantiam, de qua tunc agebatur. Erat tunc Sedes Romana vacans per mortem S. Fabiani, cum dicatur in epistola, *nondum esse Episcopum constitutum, qui omnia ista moderetur, & eorum, qui lapsi sunt, possit cum auctoritate & consilio habere rationem*, & agebatur de judicandis lapsis in persecutione. Cum ergo tunc non adesset Papa, nil mirum si deberet hæc causa agitari apud plures: & hæc forma judicii aliunde commodior erat, & minus invidiæ obnoxia, cum in rebus facti facilius veritatem possint cognoscere plures, quam unus, & si ferenda sit damnationis sententia, minuatur invidia in ferentes si plures sint, quam si unus: quod innuitur in eadem epistola dum dicitur: *Per quam invidiosum & onerosum videtur non per multos examinare, quod per*

(a) *Serm.* 108. *de Divers.*

per multos commissum videtur fuisse, & unum sententiam dicere.

Ad II. ℟. causam Donatistarum tunc agitatam fuisse causam meri facti; solum enim tunc quærebatur, utrum Cæcilianus esset reus criminum, de quibus accusabatur a Donatistis. Supponamus igitur, inquit S. Augustinus, R. Pontificem, qui vos damnavit, & Cæcilianum absolvit errasse, ut in similibus potest errare: remanebat, o Donatistæ, generale Concilium, in quo non a solo Papa, nec a solis Italis Episcopis, sed ab ipso Papa cum omnibus aliis Ecclesiæ Episcopis denuo causa vestra examinaretur. Ex hoc autem, quod judicia summorum Pontificum in Concilio denuo examinentur, non sequitur ipsos Conciliis subditos esse, ut supra ostensum est. Quod si Constantinus ipsis concessit Arelatense Concilium, in quo de ipsorum causa denuo ageretur, non id tamen necessarium erat, sed ideo concessit, ut illorum importunis clamoribus satisfaceret. *Dedit aliud*, inquit Augustinus, (a) *Arelatense judicium, non quia jam necesse erat, sed eorum perversitatibus cedens, & omnimodo cupiens tantam impudentiam cohibere.*

Ad III. ℟. S. Cyprianum (quod idem de aliis Africanis valeat) quamvis aliquando propriam sententiam ex principiis Fidei deduxisset, putasse tamen illam non ad Fidem pertinere, sed ad meram disciplinam, cum assereret potuisse quemlibet sentire ut libuisset, quod certe in quæstionibus Fidei non habet locum; ita enim ipse loquitur: (b) *Superest ut hac de re singuli quid sentiamus proferamus, neminem judicantes, aut a jure communicationis aliquem, si diversum senserit, amoventes.* Et ad S. Stephanum: (c) *Nos vim cuiquam non facimus, aut legem damus quando habeat in Ecclesia administratione voluntatis suæ ar-*

(a) *Laudat. Ep.* (b) *Præfat. in Concil. Carthagin.* (c) *Ep. 72.*

arbitrium liberum unusquisque Prepositus, rationem actus sui Domino redditurus. Cum autem S. Stephanus illi objiceret contrariam traditionem & consuetudinem Ecclesiæ, reponebat S. Cyprianus hanc traditionem & consuetudinem non esse universalem, & aliunde posse quemlibet Episcopum sequi particulares consuetudines propriæ Ecclesiæ. Ut ergo acquiesceret Stephano S. Cyprianus, erat illi ostendendum traditionem & consuetudinem objectam ab eodem Stephano non esse indifferentem, aut particularem alicujus Ecclesiæ, sed necessariam, & communem toti Ecclesiæ. Hoc quidem asserebat Stephanus, sed putabat Cyprianus illum decipi. Si autem hoc assertum fuisset in Concilio generali, cum tunc quilibet Episcopus dedisset testimonium consuetudinis & traditionis Ecclesiæ suæ, non potuisset repugnare Cyprianus. Hic igitur in casu, qui non acquievit sententiæ Stephani, acquievisset Concilio generali, non quia non sufficeret absolute sententia Stephani, sed quia non sufficiebat juxta præconceptum errorem ejusdem Cypriani, qui tamen merito propter obstinatum animum reprehenditur etiam ab ipso Augustino; debuisset enim Stephano acquiescere, qui quamvis fortasse per suum decretum definitionem ex Cathedra non ederet, proponebat tamen rationabile præceptum. Hanc porro maculam, quæcumque ea fuerit, gloriosa sanguinis effusione eluit S. Cyprianus. Ad id, quod subditur ℟. Augustinum non concedere, sed omittere Donatistis, contra quos loquebatur, se non asserturum validitatem Baptismi Hæreticorum, nisi id doceret universalis Ecclesia, ut probet hoc ipsum asseri debere a Donatistis, quorum tempore jam patebat talem esse sensum universalis Ecclesiæ; nisi dicere velimus Augustinum asserere hanc esse ipsius sententiam, quia cognoscebat rationabile fuisse decretum Stephani fundati in traditione universalis Ecclesiæ, quam traditionem vere haberi noverat. Et sane quomodo poterat ex propria sententia asserere Augustinus se non admissurum Hæreticorum Baptisma, nisi accedente consensu totius Ecclesiæ, quando ipse Pelagianos requi-

ren-

rentes Concilium generale reprehendebat, ex quo causa ipsorum esset finita per rescripta, quæ venerant a Papa? Ergo &c.

Ad IV. ℟. Augustinum tantum contendere claves non fuisse collatas Petro, ut erat singularis persona, & ut ipse solus iis uteretur & in proprium bonum, sed ut erat persona publica, & Ecclesiam tamquam illius caput repræsentabat, & ut ipse Ecclesiæ illas communicaret, illisque in bonum Ecclesiæ uteretur. Res exemplo declaratur. Sit dives, qui in religiosam pauperem familiam velit eleemosynam erogare, adeoque illius familiæ Superiori pecuniam tradat in usus Religiosorum impendendam. Is sane Superior eleemosynam accipiet, non quatenus est singularis persona, idest vel unus homo, vel unus Religiosus, sed talis scilicet Superior, qui totam sibi subditam communitatem repræsentat, nec eleemosynam recipit in proprios usus insumendam, sed suis Religiosis communicandam. Ita in casu. Et sane alibi explicans Augustinus, qua ratione claves Petro datæ sint ut Ecclesiam repræsentanti, ait ideo hoc factum esse, quia ipsius Ecclesiæ erat caput; inquit enim: (a) *Quædam dicuntur, quæ ad Apostolum Petrum proprie pertinere videantur, nec tamen habent illustrem intellectum, nisi cum referuntur ad Ecclesiam, cujus ille agnoscitur in figura gestasse personam propter Primatum, quem in discipulis habuit, sicuti est: tibi dabo claves Regni Cœlorum &c.*

Ubi etiam noto Augustinum, aliosque Patres aliquando asseruisse claves collatas esse Petro quatenus Ecclesiam repræsentanti, ut ostenderent hanc potestatem in Ecclesia remansisse etiam post mortem Petri, & hoc contra Montanistas, qui idcirco etiam contendebant non esse in Ecclesia potestatem remittendi quælibet peccata, quia potestas cla-

(a) *In Psalm.* 108.

clavium cum Petro interiisset. Rursus aliquando asseruerunt claves collatas esse Ecclesiæ, ut probarent extra Ecclesiam non esse claves, seu potestatem remittendi peccata.

Obj. ex Ecclesiasticis monumentis I. Versus finem sæculi 2. controversia emersit inter Victorem Papam & Episcopos Asiaticos circa celebrationem Paschæ, contendentibus his Pascha esse celebrandum Luna 14. Martii in quamcumque hebdomadæ diem incidisset, cum Victor cæterique existimarent esse celebrandum 1. Dominica sequente Lunam 14. De facto decretum hac de re edidit Victor, imo contra sentientibus excommunicationem minatus est, & per aliquos etiam illos excommunicavit. Asiatici porro in sententia perstiterunt, quam tamen post definitionem Nicæni abjecerunt. Putarunt ergo auctoritatem definiendi hanc controversiam esse in Concilio generali, quam non agnoscebant in R. Pontifice. Ergo illud hoc superius habebant.

II. Cum Vigilius Papa nollet ut damnarentur tria Capitula, ea tamen damnavit V. Synodus, cui damnationi acquievit tandem & ipse Vigilius. Obedivit ergo hic Concilio, cui proinde se inferiorem ostendit.

III. Narrat Glaber Rodulphus (a), quod cum Joannes XVIII. commisisset consecrationem cujusdam Ecclesiæ Petro Cardinali, reclamavit Hugo Turonensis Episcopus, quasi injuriam passus, quod consecratio contra statuta canonum demandata esset alteri ab ipso, in cujus Diœcesi erat constituta Ecelesia consecranda. Sentiebant ergo Episcopi illius temporis non posse a Papa infringi canones Conciliorum, quod indicat eum non esse supra Concilia. Aliud quoque factum habetur simile in Concilio apud Ansam anno 1025., cum enim Burchardus Archiepiscopus Viennensis ordinasset Mona-

---

(a) *Lib. 2. Hist. Cap. 4.*

nachos in Monasterio Cluniacensi sito in Diæcesi Episcopi Matisconensis, fisus privilegio concesso Monasterio a R. Pontificibus, quo privilegio ipsum Monasterium a jurisdictione proprii Episcopi eximebatur, reclamavit Episcopus Matisconensis, & in Concilio definitum est pro nullo habendum esse illud privilegium, utpote contrarium canonibus subjicientibus Monachos suis Episcopis.

IV. Pluries appellatum est a Papa ad Concilium; nam anno 1302., a Bulla Bonifacii VIII., anno 1491. a Bulla Innocentii VIII., anno 1517. a Leone X., anno 1682. a decretis Innocenti X. appellatum est in Gallis ad Concilium: non autem appellatio fit nisi ab inferiore ad superiorem.

V. Ipsi R. Pontifices aliquando fuerunt judicati & condemnati in Conciliis generalibus, ut constat de Honorio, qui fuit damnatus in VI. Synodo. Ergo &c.

℟. Ad I. Asiaticos putasse quæstionem de celebratione Paschæ ad disciplinam pertinere, ut revera pertinebat. In hac igitur quæstione sciebant R. Pontificem esse fallibilem, & illum de facto falli existimabant quamvis perperam. Nil igitur mirum si ipsius sententiæ non acquieverunt, acquieverunt autem generali Concilio, quia quamvis scirent & ipsum in hoc absolute falli posse, putarunt tamen difficillimum, ut tam multi sanctissimi & sapientissimi viri, qui Concilium constituebant, deciperentur. Sed ex hoc non magis potest colligi Concilium esse Papa superius, quam virum unum esse altero superiorem, ex quo præcise illius dicta credantur vera, secus vero hujus.

Ad II. ℟. Vigilium non acquievisse damnationi trium Capitulorum, ut obediret sententiæ Concilii; hæc enim rata non erat nisi dependenter a suo assensu, sed ipse, qui ex prudentibus rationibus prius restiterat celebrationi Concilii, in quo tria Capitula damnata fuerunt, postea ex aliis prudentibus rationibus acta Concilii probavit, sicque probavit dictam damnationem. Qui autem ex prudentibus rationibus acquiescit sententiæ alterius, non ideo se gerit ut illi inferior.

Ad

Ad III. ℟. Ex Natali Alexandro (a) Glabrum deceptum esse; nam consecratio facta est consentiente Archiepiscopo Turonensi, qui primo equidem institit, ut sibi consecratio demandaretur, sed repulsam passus a R. Pontifice tandem acquievit. Imo ipse Natalis, quamvis Primatus Concilii defensor, Glabrum arguit imperitiæ, quia scribit R. Pontificem non posse in aliorum Episcoporum Diœcesibus munia episcopalia exercere, quod falsum esse pluribus ostendit. Quæ gesta sunt in Concilio apud Ansam nullius sunt roboris, cum a R. Pontificibus sint reprobata, & pluries iterum confirmata privilegia Cluniacensium. Ut interim omittam quod ex his factis nihil aliud tandem evincitur, nisi quod tunc viguerit in Galliis sententia, quæ & modo viget, scilicet R. Pontificem esse canonibus subditum, adeoque Conciliis inferiorem. Cæterum iis factis sexcenta possent opponi exempla R. Pontificum, qui aliquo modo in canonibus dispensarunt, quin ullus reclamaverit.

Ad IV. ℟. Primo aliquando revera ita fuisse appellatum, sed fuisse appellatum a Papa solo ad Papam una cum Concilio sicque non ab uno Judice fuisse ad alium Judicem appellatum, sed a Judice se solo judicante ad eumdem Judicem judicantem cum aliis, & quidem in iis causis, in quibus Papa fallibilis supponitur. Ergo &c. Ideo autem ita appellatum est, quia existimabatur has causas melius pertractari posse apud Papam fultum auxilio aliorum Episcoporum, quam apud ipsum solum proportionaliter ad supra dicta. Cæterum aliquando etiam appellatum est a Papa minus informato ad ipsum magis informatum, nec tamen ex hoc infertur illum esse sub uno respectu majorem se ipso sub altero respectu considerato. Ergo a pari &c. ℟. secundo non posse universaliter ex facto probari jus. Appellatum utique est a Papa ad Concilium, sed injustæ fuerunt appellationes, semperque damnatæ tum jure antiquo, ut ostensum est supra, tum jure novo, nimirum ex constitutione Martini V. in-

(a) *Histor. Eccl. saculi* 11. & 12. *Cap.* 1. *art.* 1.

ſta afferenda, tum a Pio II. litteris Mantuæ in Conventu Principum publicatis, tum a Julio II. & a Bulla in Cœna Domini a Gregorio XIII. instaurata.

Ad V. ℟. Exemplum Honorii non esse ad rem; si enim fuit damnatus (quod non est certum,) fuit damnatus in causa hæresis, quo casu Papam subdi Concilio dictum est, nisi asserere velimus damnationem Honorii jam mortui fuisse non actum jurisdictionis in ipsum exercitæ, sed potius execrationem memoriæ ipsius, quod per se in taliter execrantibus nullam superioritatem indicat. Sed de hoc alibi.

Obj. ex ratione I. Totum est majus sui parte. Ecclesia, itemque Concilium est totum, Papa est pars. Ergo &c.

II. Quilibet filius est inferior matre: Papa est filius Ecclesiæ. Ergo ipsa Ecclesia, adeoque etiam Concilio illam repræsentante est minor.

III. Auctoritas Conciliorum est divina: summus Pontifex subditur auctoritati divinæ. Ergo subditur auctoritati Conciliorum.

IV. Tribunal certo infallibile est superius Tribunali probabiliter solum infallibili. Concilium est Tribunal certo infallibile: est autem solum probabiliter infallibile Tribunal R. Pontificis. Ergo &c.

℟. Ad I. notando totum esse quidem semper majus parte *extensive*, quatenus totum aliquid semper includit, quod non includit pars, non tamen esse semper majus *intensive*, puta quoad superioritatem, dignitatem, perfectionem &c.: nam Deus E. G. est pars universi sumpti pro collectione rerum omnium existentium. Quis tamen dicet perfectius, dignius, & superius esse universum Deo? Deinde ℟. in præsenti non sumi Ecclesiam pro toto, sed sumi pro omnibus aliis partibus ipsam constituentibus, dempto Pontifice. Divisa igitur Ecclesia hinc in caput, inde in omnes alias partes, quæritur postea utrum præstet caput omnibus aliis partibus simul sumptis, an omnes istæ partes præstent capiti. Ergo &c.

Ad II. ℟. Primo cohærenter ad dicta Papam non esse filium Ecclesiæ, prout hic Ecclesia sumitur. ℟. secundo filium esse quidem matre inferio-

rem, si præcise sit filius, secus si filiationi habeat adnexam peculiarem aliam rationem, ob quam matri præstet. Sic Christus, non obstante quod sit filius Mariæ, est ipsa superior, quia filiationi habet adnexam divinitatem. R. autem Pontifex etsi concedatur Ecclesiæ filius, est tamen ipsius etiam caput, & rector, & per hoc ipsi superior. Ad id respexit Pius II., dum ait (a): *Etsi Ecclesiæ filius est* (R. Pontifex) *propter regenerationem, propter dignitatem tamen pater habetur: & sicut filiationis causa debet Ecclesiam venerari tanquam matrem, ita & prælationis causa præfertur ei, ut Pastor gregi, Princeps populo, Rector familiæ.*

Ad III. ℟. Tripliciter: primo negando auctoritatem Ecclesiæ & Conciliorum non computato R. Pontifice esse divinam, quæ solum divina est illo computato: secundo dicendo esse divinam etiam auctoritatem R. Pontificis, unde si valeret argumentum, posset etiam dici Concilium eodem jure subjectum R. Pontifici: tertio distinguendo: auctoritas Conciliorum est divina relate ad imperandum Papæ negatur, relate ad definitiones Fidei & morum, conceditur. Et quamvis posita divina auctoritate Conciliorum in his definitionibus non possit Papa aliter sentire, ac juxta illas, hoc tamen non eruit superioritatem in Conciliis respectu illius, ut posito, quod unus homo asserat aliquid evidenter verum, quilibet alter homo prudens non potest asserto contradicere, quin ex hoc eruatur illius in hunc superioritas: & Concilium unum generale tenetur stare definitionibus Fidei & morum alterius Concilii, nec tamen ullus dicet unum Concilium esse altero superius. Ergo a pari &c.

Ad IV. ℟. Nec infallibilitatem Conciliorum, ut hic sumuntur, esse certam; licet enim certum sit de Fide Concilia simul cum Papa esse infallibilia, seorsim tamen a Papa per illos solum erunt infallibilia, qui præeminentiam Conciliorum defendunt; per alios autem contra sentientes & consequenter etiam per nos non erunt. Ergo &c.

(a) *In litt. retract.*

ARTICULUS QUARTUS.

Contra Assertionem articulo superiori statutam.

Obj. ex definitionibus Concilii Constantiensis. Hoc expresse definivit Papam esse Concilio inferiorem; nam hæc duo in ipso efformata sunt decreta (a): *Sancta Synodus Constantiensis generale Concilium faciens . . . ordinat, disponit, statuit, decernit, declarat, ut sequitur: & primo quod ipsa Synodus in Spiritu S. congregata generale Concilium faciens, Ecclesiam catholicam militantem repræsentans potestatem a Christo immediate habet, cui quilibet cujuscumque status vel dignitatis etiamsi Papalis existat obedire tenetur in his, quæ pertinent ad Fidem & extirpationem dicti schismatis, & reformationem generalem Ecclesiæ Dei in capite, & in membris*. Rursus (b): *Item declarat quod quicumque cujuscumque conditionis, status, dignitatis etiamsi Papalis, qui mandatis, statutis, seu ordinationibus hujus sacræ Synodi, & cujuscumque alterius Concilii generalis legitime congregati super præmissis, seu ad ea pertinentibus factis, vel faciendis obedire contumaciter contempserit, nisi resipuerit, condignæ pœnitentiæ subjiciatur, & debite puniatur etiam ad alia juris subsidia, si opus fuerit, recurrendo*. Ergo &c.

Difficultati tres solent afferri responsiones. Omnes indicabo, tertiam tantum adoptabo & vindicabo.

Prima est, Constantiense in illis sessionibus, in quibus hæc decreta statuta sunt, non fuisse œcumenicum; tunc enim constituebatur a sola obedientia Jo. XXIII., quæ profecto totam Ecclesiam non repræsentabat. (Noto tunc fuisse schisma in Ecclesia propter tres Pontifices Joannem XXIII., Gregorium XII., & Benedictum XIII.) Aliæ autem obedientiæ legitime vocatæ non fuerant ad Concilium, cum

(a) *Sess.* 4. (b) *Sess.* 5.

cum vocatæ non essent nisi ab eodem Joanne, qui ab ipsis non agnoscebatur ut verus & indubitatus Pontifex. Et de facto cum (a) Concilio se adjunxit obedientia Gregorii XII., facta fuit ab eodem nova convocatio Concilii, qua sufficienter declarabatur rata non esse, quæ antea facta & decreta fuerant, quod idem præstitit obedientia Benedicti XIII. cum Concilio se & ipsa adjunxit (b).

Secunda est, Concilium Constantiense loqui de Papa dubio, & de tempore schismatis. Scilicet cum Constantiense fuisset congregatum ad tollendum schisma, oportebat, ut tantum definiret Concilium habere potestatem necessariam ad schisma tollendum, adeoque in Pontifices dubios. Et confirmari solet hæc responsio primo ex quo referente Schelstrato, cum Natio Germanica exposceret, ut cautio daretur de facienda reformatione post electum Pontificem certum, responsum illi est: *Papam electum ligari non posse*. Quæ verba, etsi non a toto Concilio emanaverint, sed solum a quibusdam Nationum deputatis, probant tamen non fuisse antea definitum Papam certum subdi Concilio; si enim hoc fuisset definitum, quomodo postea dici potuisset Papam certum ligari non posse? Secundo, Turrecremata, qui adfuerat Constantiensi, in apologia pro Eugenio, quam postea habuit in Florentino, dixit Papam indubitatum Concilio generali non subjacere extra casum hæresis, illumque in casu reformationis de honestate, non de necessitate exequi Concilii decreta. Hæc autem non potuisset affirmare, si decreta Constantiensis respicerent Papam certum, quod & ipse scivisset, & scivissent tot ipsius auditores, qui Constantiensi interfuerant, quique contra dictum Turrecremata reclamassent. Tertio in ipso Constantiensi statuitur, a Papa singulis quinquenniis esse convocandum Concilium, ubi, cum sermo est de Papa certo, nulla, si id non faciat, statuitur ipsi

(a) *Sess.* 14. (b) *Sess.* 20.

pœna, quæ tamen statuitur si id non faciat Papa dubius, contra quem ad privationem usque Pontificatus in casu decernitur procedendum: indicio sane Concilium esse Pontifice dubio superius, non sic vero Pontifice certo.

Ut tertiæ responsionis vis introspiciatur, prænotandum Synodorum etiam generalium definitiones & decreta vim non habere, nisi accedente consensu R. Pontificis. Patet primo hoc ex Gelasio dicente (a): *Totum in Sedis Apostolicæ positum est potestate: ita quod firmavit in Synodo Sedes Apostolica, hoc robur obtinuit, quod refutavit, habere non potuit firmitatem*, & ex Nicolao I. dicente (b): *In universalibus Synodis quid ratum, vel quid prorsus receptum, nisi quod Sedes B. Petri probavit, ut scitis, habetur? Sicut e contrario quod ipsa sola reprobavit, hoc solummodo constat hactenus reprobatum:* & alibi (c): *Romana Ecclesia collecta Concilia sua auctoritate firmat, sua moderatione custodit; unde quædam eorum, quia consensum R. Pontificis non habuerunt, valetudinem perdiderunt*. Secundo nisi accedat hic consensus, definitio non potest dici emanata, aut emanatum decretum a Synodo generali; quomodo enim dici potest aliquid fuisse statutum a Synodo generali, idest cœtu omnium Episcoporum, quando non consentit præcipuus inter illos? Et de facto consensus hic in omnibus semper Conciliis generalibus legitimis habitus est vel antecedenter, cum nempe antecedenter ad celebrationem Concilii Papa declaravit propriam mentem, vel concomitanter, in ipsa scilicet celebratione Concilii, vel subsequenter, cum scilicet adhæsit iis, quæ in Concilio fuerant statuta. Hoc posito.

℟. Tertio decreta supradicta non fuisse a summis Pontificibus approbata. Sane R. Pontifices nec ante Constantiense quidquam docuerunt conforme his

(a) *Tom. de Anathem.* (b) *Ep.* 7.
(c) *Ep.* 8.

his decretis, nec cum aliis consenserunt in iis efformandis; nam in illis sessionibus non aderat aut per se, aut per suos Legatos ullus R. Pontifex: nec postea ullatenus consensum iis præbuerunt. Ergo &c.

Postrema hæc pars, in qua præcipue stat difficultas, ita ostenditur. Pontifices, de quibus dubitari potest, utrum confirmaverint decreta, sunt Martinus V., Eugenius IV., & Pius II.; hos enim adstruunt Galli. Hi non confirmarunt supradicta decreta. Ergo &c. Prob. minor., & primo generaliter. Nam post hos Pontifices celebratum fuit Concilium Lateranense V., in quo lecta est constitutio Leonis X. (a) hæc pro auctoritate Papæ habens: *Solum R. Pontificem pro tempore existentem tamquam auctoritatem super omnia Concilia habentem, Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac dissolvendorum plenum jus & potestatem habere, nedum ex sacræ Scripturæ testimoniis, dictis SS. Patrum, ac aliorum R. Pontificum prædecessorum nostrorum, sacrorumque canonum decretis, sed propria etiam eorumdem Conciliorum confessione constat.* Quod sane non asseruisset Leo, nec Patres Concilii tacuissent, si antea fuisset jam a summis Pontificibus confirmatus Primatus Concilii super illos. Rursus post supradictos Pontifices facta est ab Alexandro VIII. damnatio hujus propositionis 29. *Futilis & toties est convulsa assertio de Pontificis R. supra Concilium œcumenicum auctoritate, atque in Fidei quæstionibus decernendis infallibilitate:* quæ propositio posita confirmatione, de qua disputatur, esset verissima.

Prob. etiam supradicta minor per partes, & quidem modo quoad Martinum V.; de aliis enim commodius dicetur infra, ubi de actis in Basileensi & post ipsum. Primo Martinus V. aliqua in Constantiensi statuta confirmavit verbis, aliqua factis. Verbis

(a) *Incipiens* Pastor æternus.

bis (a) confirmavit *omnia & singula determinata, conclusa, & decreta in materiis Fidei & conciliariter facta, & non aliter nec alio modo*. At decreta supradicta non sunt in materia Fidei, cum de earumdem materia citra hæresim litigent Doctores. Ergo &c. Facto autem, si aliquid approbavit, ea tantum approbavit, quæ spectabant ipsius electionem: nisi dicere velimus ea non fuisse approbata a Martino, sed potius antecedenter ad illius electionem fuisse valida. Secundo idem Martinus in fine Constantiensis constitutionem edidit, in qua hæc habentur. *Nulli fas est a supremo Judice, videlicet Apostolica Sede, seu R. Pontifice Jesu Christi Vicario in terris appellare, aut illius judicium in causis Fidei, quæ tamquam majores ad ipsum & Sedem Apostolicam referendæ sunt, declinare*. Quod non potuisset asserere, si decreta jam dicta probasset, cum juxta illa fas esset appellare a Papa, utpote a Tribunali non ultimo. Tertio ipse Martinus approbavit damnationem articulorum Joannis Wiclephi, inter quos unus erat: *Papa non est immediatus Christi Vicarius*. Hæc pariter damnatio cum assertione de superioritate Concilii in Papam stare non potest. Si enim Concilium est Papa superius, jam hoc erit immediatus Christi Vicarius, non Papa. Ergo &c.

Quæ ab adversariis objiciuntur ad probandum Martinum V. approbasse decreta supradicta, commodius afferentur postquam de definitionibus & gestis Basileensis fuerit sermo.

Obj. ex Actis Constantiensis. Cum novus eligendus esset Papa indubitatus, sublatis dubiis, inter varia, quæ fuerunt proposita examinanda, hoc etiam fuit: (b) *Propter quæ & quomodo possit Papa corrigi & deponi*. Imo (c) variæ fuerunt statutæ leges, quibus proxime eligendus Papa teneretur, & inter alias, quod deberet reformare Ecclesiam in capi-

(a) *Sess.* 45. (b) *Sess.* 40.
(c) *Eadem Sessione*,

capite & in membris. Hæc omnia satis indicant, Constantienſe se existimasse R. Pontifice superius. Ergo &c.

℟. Cum certum sit Papam in aliquo casu posse corrigi & deponi, scilicet, ob hæresim, & cum vigeret tunc controversia utrum in aliis casibus posset corrigi, & deponi, locum fuisse proponendi quæstionem *propter quæ Papa possit corrigi & deponi*. Quæ autem leges statutæ sunt non poterant sane Pontificem eligendum obligare ex vi coactiva, sed solum ex quadam honestate & æquitate. Tandem si robur non habent, ut probatum est non habere, decreta Sess. IV. & V., ex eadem ratione robur non habent quæ in hac objectione afferuntur.

Obj. ex definitionibus Concilii Basileensis. Antequam Eugenius IV. Concilium hoc Ferrariam transferret, quinquies (a) confirmata sunt decreta de superioritate Concilii in Papam. Post translationem autem pluries sunt repetita, imo definitum etiam doctrinam hanc esse de Fide, & pertinaciter illi repugnantem esse hæreticum. Ergo &c.

℟. Et hic deesse approbationem R. Pontificis: & ut prius de Eugenio IV hic loquar, qui tunc erat R. Pontifex, testatur Turrecremata (b) se præsente in Concilio Florentino cum publica disputatio haberetur, alleganti Juliano Cardinali in favorem Basileensium, respondisse Eugenium: *Nos quidem progressum Concilii approbavimus, volentes ut procederet ut incœperat: non tamen approbamus ejus decreta*. Et infra: *Licet Basileenses cum maximo studio repetitis vicibus supplicaverint per oratores, ut Dominus Eugenius eorum decreta approbaret, & confirmaret, nunquam tamen talem approbationem aut confirmationem ab eo obtinere potuerunt*. Subintellige relate ad decreta efferentia Concilium supra Papam; nam quoad alia videtur approbasse; epistola (c) enim

(a) *Sess.* 2. 3. 12. 16. *&* 18.
(b) *Lib.* 2. *de potest. Pap. Cap.* 100.
(c) *Apud Raynald. ad an.* 1446.

enim missa ad suos Legatos in Germaniam cum dixisset Principes ab ipso postulasse, ut auctoritas generalium Conciliorum conservaretur, subdit; *Nos ipsorum . . . supplicationibus inclinati ad imitationem SS. Patrum, Prædecessorum nostrorum sicuti illi generalia Concilia venerari consueverunt: sic generalia Concilia Constantiense ac Basileense ab ejus initio usque ad translationem per nos factam, absque tamen præjudicio juris, dignitatis, & preeminentiæ, sanctæ Sedis Apostolicæ, ac potestatis sibi & in eadem canonice sedenti concessæ, cum omni reverentia & devotione suscipimus, amplectimur, & veneramur.* De aliis Pontificibus postea.

Obj. ex actis in ipso Basileensi. Hoc se Eugenio superius ostendit tam ante translationem, quam post. Ante quidem; quia cum post Sess. I. Eugenius Concilium suspendisset, adhuc ipso invito Concilium prosecuti sunt Patres. Rursus ipsi Eugenio comminati sunt depositionem, nisi se denuo uniret Concilio. Tandem cum Eugenius promisisset unionem sui cum Concilio, si Patres retractassent quæ contra ipsum egerant, conditionem ipsi respuerunt: imo quandam formulam adhæsionis ipsi proposuerunt, qua absolute revocaret omnia a se facta contra Concilium, ac protestaretur se illud suscipere perinde ac si nulla dissolutio facta esset. Post translationem autem usque adeo Concilium se Eugenio superius ostendit, ut in ipsum judicium exercuerit, sententiam tulerit, ipsum deposuerit, ac alium Pontificem elegerit. Ergo &c.

℟. Plura quidem gessisse Basileenses, quibus contenderunt ostendere se Papa superiores, sed cum hæc non approbaverit ipse Papa, talia non sunt, ut ex ipsis eruatur revera ipsos fuisse superiores, ut contendebant.

Obj. ex approbatione decretorum Constantiensium facta a Martino V. I. Martinus ea omnia probavit, quæ definita erant in materia Fidei. Atqui doctrina de superioritate Concilii in Papam licet non sit de Fide, ita ut contrarium sentientes sint hæretici, est tamen in materia Fidei, cum sit deducta ex Scriptura, Traditione &c. Ergo &c.

II.

II. Edidit Martinus V. constitutionem contra errores Wiclephi, in qua has præscribit interrogationes faciendas redeunti ab hæresi: *Utrum credat, teneat, & asserat quod quodlibet Concilium generale, & etiam Constantiense universalem Ecclesiam repræsentet:* Rursus: *Utrum credat quod illud sacrum Concilium Constantiense universalem Ecclesiam repræsentans approbavit, & approbat in favorem Fidei, & ad salutem animarum, quod hoc est ab universis Christi Fidelibus approbandum & tenendum.* Si igitur Martinus vult, ut credatur Constantiense esse generale, & insuper esse ab omnibus approbandum, quod ipsum approbat, cum ipsum superioritatem Concilii in Papam approbaverit, hæc superioritas per Martinum erit credenda, adeoque dicenda approbata ab eodem. Ergo &c.

℟. Ad I. abusum esse vocabulorum si *per materias Fidei* id omne intelligatur, quod vel in Scriptura, vel in Traditione aliquo modo fundatur; alias omnes quæstiones Theologicæ, quæ hinc inde apud Catholicos agitantur, cum semper vel ex Scripturis, vel ex Traditione aliquo modo definiantur, essent in materia Fidei, quod nemo dixerit. Adde confirmationem Martini V. in circumstantiis esse factam, in quibus satis patet per materias Fidei ipsum intellexisse, quod est de Fide credendum; postulabatur enim ab ipso, ut Joannis Falchemberg libellus damnaretur in publica sessione, qui jam in particularibus congregationibus damnatus fuerat ut hæreses continens, quibus Martinus respondit, *se approbare conciliariter facta in materia Fidei & non aliter nec alio modo*. Quasi diceret: licet hæc materia sit de Fide, cum tamen libelli damnatio non sit *conciliariter* facta, ideo non approbo hanc damnationem. Ubi patet illa verba *in materia Fidei* referri ad Fidem stricte talem.

Ad II. ℟. quod etsi Martinus V. fateatur Constantiense esse generale & approbandum, non tamen idcirco omnia illius decreta promiscue approbat, ut patet exemplo S. Leonis Magni: qui etsi Chalcedonense declaraverit generale, & approbandum,

non tamen probavit quoad omnia. Approbat igitur Martinus V. & proponit tenendum solum, quod a Constantiensi statutum est *in favorem Fidei & in salutem animarum*, qualis non est doctrina de superioritate Concilii in Papam. Adde non posse dici approbatum a Concilio quod non est approbatum a Papa capite Concilii. Cum igitur Martinus V. definit esse approbandum quod approbavit Constantiense, de iis loquitur, quæ & ipse probavit, qualia non fuerunt quæ de superioritate Concilii in Papam sunt definita.

Obj. ex approbatione decretorum Constantiensium & Basileensium facta ab Eugenio IV. Et I. Eugenius tres Bullas, quas contra Basileenses condiderat, retractavit (a) & declaravit omnia a se dicta, vel facta contra Basileenses pro non dictis & factis habenda esse, ac illud Concilium semper prosecutionem habuisse, & semper fuisse legitimum & generale; perinde ac si nulla dissolutio facta esset; insuper se illud *pure, simpliciter & cum affectu ac omni devotione & favore prosequi*. Rursus cum in prima Bullarum retractatarum habeatur hæc propositio: *Papa est Concilio superior;* jam si hæc Bulla est retractata, erit etiam retractata hæc popositio, adeoque appobata contraria: *Concilium est superius Papa*. Et de facto ipse Eugenius in quadam epistola ad Sygismundum Imperatorem testatus est se pro bono pacis aliquid remisisse de juribus Sedis Apostolicæ.

II. Cum ipse, ut supra etiam dictum est, promisisset se adhæsurum Concilio, si Patres retractassent statuta contra ipsius auctoritatem, conditionem ipsi respuerunt asserentes se nihil retractare velle, imo cum formulam ab ipsis propositam Eugenius adhibuisset, Patres ipsi ut Judices declararunt ipsum satisfecisse menti Concilii: nec tamen ipse contra hunc agendi modum reclamavit, sicuti nec

(a) *Constit. incipien.* Dudum.

nec reclamavit, cum ipsius Legati omni coactiva jurisdictione spoliati in Concilium admissi sunt.

III. Post Sess. XVII. amantissimas literas dedit ad Concilium, (a) quibus Patres laudat pro bene gestis, & asserit se ab illis solum in loco celebrandi Concilii dissensisse: nec reclamavit, cum ipsius Legati coacti sunt jurare se defensuros praeeminentiam Concilii in Papam.

IV. Cum Græci in Florentino detrectarent agnoscere præeminentiam Papæ in Concilium, ipse illis dexteram fraternitatis dedit.

V. Ipse secundo ex quatuor postulatis Germanorum ad se delatis ab Ænea Sylvio, quod tale erat: *ut professio potestatis, auctoritatis & praeminentiæ generalium Conciliorum catholicam militantem Ecclesiam repræsentantium per tuos Oratores facta tuis literis approbetur*; respondit (b) *Concilium generale Constantiense, decretum frequens, ac alia ejus decreta, sicuti cætera alia Concilia catholicam militantem Ecclesiam repræsentantia, ipsorum potestatem, auctoritatem, honorem, & præeminentiam sicut & cæteri antecessores nostri, a quorum vestigiis deviare nequaquam intendimus, suscipimus, amplectimur, & veneramur*.

VI. Approbata fuisse ab Eugenio IV. omnia decreta Basileensium expresse testantur Platina, & Hartmannus Schedel. Ergo &c.

℟. Ad I. ex hac retractatione nihil aliud sequi, nisi quod Concilium considerandum esset tanquam si absque ulla dissolutione semper legitimum fuisset. Posse autem Concilium esse legitimum, quin omnia ab illo gesta, & statuta rata sint, est jam probatum. Asseruit etiam Eugenius se *pure simpliciter &c. prosequi Basileense*, & quatenus ipsum declarabat in transactis, legitimum, & quate-

---

(a) *In Appendic. Basileen. apud Labbe.*
(b) *Apud Raynald. ad an.* 1447.

tenus ipsi promittebat in futurum favorem suum. Eugenius ergo per illam retractationem declaravit Basileense non reprobatum, sed non ideo declaravit approbatum in omnibus, quod tamen ad firmitatem conciliarium definitionum requiri supra probatum est. Quamvis autem in priore Bulla assereretur Primatus Papæ in Concilium, non tamen per retractationem Bullæ esset hic dicendus retractatus, cum per talem retractationem non omnia in Bulla contenta dicenda sint retractata, sed ea solum, quæ dissolutionem Concilii spectabant; alias cum in ea Bulla contineatur *quod Papa sit constitutus a Deo, ut scandala tollat ab Ecclesia*, hæc quoque propositio esset retractata, quod nemo dixerit. Sed demus propositionem asserentem *Papam esse Concilio superiorem* fuisse retractatam, eritne proinde approbata contraria? Minime quidem; retractans enim aliquam propositionem, vult eam considerari tanquam non dictam, at non ideo censetur asserere oppositam. Sic qui hanc propositionem a se temere assertam: *Numerus stellarum est par* vellet non esse assertam, non ideo censeretur asserere contrariam: *Numerus stellarum est impar.* Ergo a pari &c. Dixit porro Eugenius in epistola ad Imperatorem se aliquid pro bono pacis remisisse de juribus Sedis Apostolicæ, sed hoc non est referendum ad approbationem decretorum Basileensium, referendum est tantum ad tolerantiam eorum, quæ in præjudicium suæ auctoritatis gerebant Basileenses, quæque in objectione narrantur.

Ad II. ℟. postulasse quidem Eugenium, ut Basileenses retractarent quæ contra ipsius auctoritatem statuerant, cum tamen cerneret eorum quoad hoc repugnantiam, eos noluit ad id cogere; noverat enim ex una parte quæstionem hac de re non esse de Fide, & ex altera sciebat absque sua approbatione Basileensium decreta valida non futura, cum aliunde pericula & scandala cerneret imminere, nisi se Basileensibus conjunxisset. Ad hæc vitanda dicta decreta permisit integra manere, sicuti etiam Basileensibus non ex necessitate, sed studio pacis morem gessit adhibendo formulam adhæsio-

sionis ab illis præscriptam nec reclamando, vel cum illis quasi judiciarie declararunt ipsum satisfecisse menti Concilii, vel cum ipsius Legati absque coactiva jurisdictione in Concilium sunt admissi.

Ad III. ℞. Eugenium ad liniendos animos Basileensium amantissimas litteras ad illos dedisse, quibus illorum dissimulans inordinatum modum agendi, eos laudavit pro bene gestis, atque ad salubre complementum eos hortatus est. His litteris asserit quidem se a Basileensibus in loco solum celebrandi Concilii dissensisse, sed cum constet ex Bullis revocatis ipsum Concilio adversatum esse etiam ob illa, quæ Concilium contra se attentabat, cogimur dicere Eugenium id asseruisse, quia hoc solum non duxit tolerandum, cum cætera paratus esset tolerare pro bono pacis. Ejusdem pacis studio non reclamavit, cum ipsius Legati coacti fuerunt jurare se defensuros præeminentiam Concilii in Papam, & cum (a) renovata sunt decreta Constantiensia hanc præeminentiam spectantia, & his similia. Præterquamquod etsi Torrecremata asserat Legatos juramentum emisisse, non tamen illud emiserunt, inquit ipse (b): *nisi nominibus propriis, ut scilicet particulares personæ, & hoc necessitate maxima compulsi, quia aliter in maximum scandalum totius Ecclesiæ non admittebantur ad præsidentiam, non autem juraverunt illa tenere ut Nuncii Apostolici, imo inquantum hujusmodi potestati sunt in contrarium, nec interesse voluerunt sessionibus, in quibus talia concludebantur*. Et de facto Sess. XVIII. non interfuerunt. Quæ omnia postquam diu toleravit Eugenius sperans Basileenses ad saniora consiliaredituros, tandem spe sua frustratus Concilium rescidit, & Ferrariam transtulit, ex quo tempore Basileense evasit Conciliabulum.

Ad

(a) *Sess.* 18. (b) *Lib.* 2. *de Eccl. cap.* 100.

Ad IV. ℞. quod licet Græci detrectarent fateri præeminentiam Papæ in Concilium, prudenter tamen Eugenius unionem cum ipsis inivit; non enim ob dissensionem in sententia, quæ non erat de Fide, debebat retardari adeo exoptata unio.

Ad V. ℞. dictam approbationem fieri ab Eugenio ut erat facta a suis antecessoribus. Cum ergo decreta efferentia Concilium supra Papam antecedenter ad Eugenium non fuerint approbata, nec ea probavit Eugenius. Adde quod cum jam infirmus Eugenius quatuor constitutiones edidisset, quibus quatuor Germanorum postulatis respondebat, timens ne ex defectu examinis, a quo instituendo eum impediebat infirmitas, aliqua concederet non concedenda, illis quatuor aliam adjunxit constitutionem (a), qua protestatus est se per hæc responsa non intendisse ullo modo derogare dictis SS. Patrum & auctoritati Sanctæ Sedis, & si quæ forte dixisset ita derogantia, se velle, ut haberentur pro non dictis & responsis.

Ad VI. ℞. Platinam & Schedel vel intelligendos esse de aliis decretis ab illis, de quibus nunc est quæstio. vel dicendos esse deceptos falsis rumoribus sparsis a Basileensibus, aut non satis distinxisse inter approbationem, & non reprobationem.

Obj. ex approbatione decretorum Constantiensium & Basileensium facta a Pio II. Hic (b) ait: *Cum his & generalis Concilii auctoritatem & potestatem complectimur, quemadmodum & ævo nostro Constantiæ, dum ibi fuit Synodus universalis, declaratum definitumque est: veneramur enim Constantiense Concilium & cuncta, quæ præcesserunt a Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris approbata.* Ergo &c.

℞. mirum esse Pium nobis objici, cum in Bulla retractationis totus sit in retractandis, quæ ante Pon-

(a) *Apud Raynal. ad an* 1446.
(b) *In litter. retractativ.*

Pontificatum scripserat contra Eugenium, & in favorem Constantiensium & Basileensium: quod usque adeo verum est, ut Natalis Alexander asserat Pium aliquid humani passum esse, & rationibus suis consuluisse, dum factus Pontifex sententiam deseruit, quam in minoribus constitutus egregie defenderat. In ea sane Bulla testatur se suscipere auctoritatem Conciliorum generalium, quemadmodum Constantiæ declarata fuit, sed hoc est intelligendum non in ordine ad imperandum Pontifici certo; nam quoad hoc, ut vidimus, Constantiense non fuit approbatum, cum tamen Pius testetur se suscipere Concilia a R. Pontificibus prædecessoribus suis approbata.

Consulto omissa sunt, quæ solent afferri ex Nicolao V. & Pio IV. pro prætensa approbatione decretorum Constantiensium & Basileensium; prior enim cum eodem modo se gesserit ac Eugenius IV., ad ea proinde, quæ ex eodem objiciuntur, respondetur proportionaliter ad ea, quæ respondentur objectis ex Eugenio. Ex alio nihil aliud affertur nisi quod noluerit, ut in Tridentino definiretur superioritas Papæ in Concilium, quod tamen nihil probat, cum id factum sit, quia consultius visum est pro bono pacis non definire quæstionem, & relinquere sententiam Gallorum in sua probabilitate.

CAPUT TERTIUM.

De Infallibilitate Romani Pontificis.

EXponam 1. quæ necessaria sunt ad intelligentiam quæstionis: 2. statuam assertionem, eamque ab objectis vindicabo.

ARTICULUS PRIMUS.

Noto 1. dupliciter spectari posse R. Pontificem, & quatenus est privatus Doctor, qui mentem suam circa aliquid aperit, & quatenus est Doctor publicus, qui Ecclesiam docet. Primo modo spectatus potest errare. De Pontifice spectato secundo modo

(qui

(qui si præmissis consuetis deliberationibus & consultationibus Scripturarum, Traditionum &c. proponat aliquid ut credendum, vel observandum ab universa Ecclesia, dicitur loqui *ex Cathedra*) lis est inter Catholicos. Galli nostrorum temporum ut plurimum Papam etiam ex Cathedra loquentem infallibilem esse negant, nisi accedat universalis Ecclesiæ consensus: quo posito non majorem videntur tribuere Papæ infallibilitatem, quam alteri cuilibet homini sentienti cum Ecclesia; nullus enim, qui cum Ecclesia sentit, in iis, in quibus Ecclesia est infallibilis, errare potest. Alii distinguentes R. Pontificem a Sede Apostolica, hanc faciunt infallibilem, non vero illum. Sane aliquam esse distinctionem inter Sedem Apostolicam & R. Pontificem innuit S. Leo (a) inquiens: *Aliud sunt Sedes, aliud Præsidentes in Sedibus*: & suadet ratio; nam *Sedes* est nomen officii, auctoritatis & dignitatis, *Sedens* est nomen personæ officium, auctoritatem, & dignitatem obtinentis. Sed quomodo stet infallibilitas Sedis, cum Pontifex errat, non satis apparet. Hæc proinde sententia a Launojo excogitata ad conciliandos Gallos & Italos, adeo illos non conciliat, ut potius utrisque displiceat. Alia tandem sententia, quam inter cæteros communiter defendunt Itali, Pontificem ex Cathedra loquentem antecedenter ad consensum Ecclesiæ defendit infallibilem,

Noto 2. quæstionem hoc capite agitandam cum agitata capite superiore esse connexam; cum enim supremum in Ecclesia Tribunal debeat esse infallibile, utpote ex quo dependet Fides totius Ecclesiæ, qui statuit hoc Tribunal in R. Pontifice, ipsum infallibilem statuat necesse est. Cohærenter igitur ad supra statutam præeminentiam Papæ Itali defendunt ipsius infallibilitatem, quam negant Galli cohærenter ad ipsorum principia, illam potius statuentes in Concilio.

No-

(a) *Ep.* 53. *ad Anatol.*

Noto 3. Pontificiam infallibilitatem hic adstruendam ad omnes & solos casus extendi, ad quos extenditur infallibilitas Ecclesiæ.

ARTICULUS SECUNDUS.

Assertio. *R. Pontifex ex Cathedra loquens, etiam antecedenter ad consensum Ecclesiæ, in adductis casibus est infallibilis in docendo.*

Prob. ex Scriptura & I. ex illo Christi ad Petrum: (a) *Simon Simon ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum. Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat Fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Hic duo promittuntur & infallibilitas Petri in docendo, & translatio hujus infallibilitatis in successores. Ergo &c. Prob. antecedens quoad primam partem. Christus rogavit pro ea Fide Petri, quæ futura esset fundamentum Fidei aliorum. Ergo rogavit, ut esset infallibilis in docendo, cum ad roborandam aliorum fidem infallibilis hæc doctrina Fidei esset maxime necessaria. Prob. antecedens ex S. Leone Magno, qui (b) ait: *Commune erat in omnibus Apostolis periculum de tentatione formidinis . . . & tamen specialis a Domino Petri cura suscipitur, & pro fide Petri proprie supplicatur, tanquam aliorum status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur, & divinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, ut firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur.* At quomodo ex firmitate Petri in fide oriretur aliorum firmitas, si posset hic errare in docendo? Rursus S. Leo IX. inquit: (c) *Solus est Petrus, pro quo, ne deficeret ejus Fides, Dominus & Salvator noster asserit se rogasse dicens: Simon &c. Quæ venerabilis & efficax*

(a) *Luc.* 22. (b) *Serm.* 3. *de Assumpt. sua*
(c) *Ep. ad Petr. Antiochen.*

ficax oratio obtinuit, quod hactenus Fides Petri non deficit, nec defutura creditur in Throno illius usque in saeculum saeculi: sed confirmabit corda fratrum variis concutienda fidei periclitationibus, sicut usque nunc confirmare non cessavit. Tandem Innocentius III. (a) *Majores*, inquit, *Ecclesiae causas praesertim articulos Fidei contingentes ad Petri sedem referendas intelliget, qui notabit pro eo Dominum exorasse, ne deficiat Fides ejus*. Ergo &c.

Prob. postea superius antecedens quoad secundam partem ex supra relato S. Leone IX., qui asserit effectum orationis Christi fuisse, ut non deficeret fides Petri, nec defutura sit usque in sæculum: imo ut probet orationem Christi fuisse exauditam, exemplum adducit successorum Petri, qui semper Christianos in Fide confirmarunt, quod exemplum non esset ad rem, si privilegium ipsius Petri ad successores non debuisset transire. Rursus ex supra relato Innocentio III., qui privilegium Petro concessum non posset assignare ut causam, ob quam majores causæ essent ad Sedem Apostolicam referendæ, nisi ad successores dimanasset. Tandem ex S. Bernardo, qui hæc habet (b): *Oportet ad vestrum referri Apostolatum pericula quaeque & scandala emergentia in Regno Dei, ea praesertim, quae de Fide contingunt; dignum namque arbitror ibi potissimum resarciri damna Fidei, ubi non possit Fides sentire defectum. Hac quippe hujus praerogativa Sedis; cui enim alteri dictum est aliquando: ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua?*

Scio contra superiorem probationem objicere Gallos, nihil ex allatis verbis Christi erui posse pro infallibilitate Papæ. Illa enim multipliciter explicantur a Patribus, aliis quidem illa explicantibus ut supra, aliis tamen asserentibus tunc Christum rogasse

(a) *Cap.* Majores.
(b) *Ep.* 190. *ad Innocentium II*

gasse pro finali perseverantia ipsius Petri in Fide, aliis contendentibus Christum orasse pro indefectibilitate Ecclesiæ Romanæ, aliis pro indefectibilitate Romanæ Sedis, aliis denique pro indefectibilitate totius Ecclesiæ. Quibus positis variis SS. Patrum sententiis contendunt non posse nostrum potius, quam ipsorum ex illo textu assertum confirmari.

Verum cohærenter ad dicta primo capite R/. vel non possumus omnes istas explicationes simul conciliare, vel possumus. Si primum, illam seligere debemus, quæ litterali sensui textus magis accedit; qualis profecto est supra adducta. Enimvero Christum ad solum Petrum, non vero ad Ecclesiam totam tunc esse locutum, patet ex quo in plurali numero prius loqui cœperit: *Ecce Satanas expetivit vos &c.*, deinde ad Petrum conversus prosecutus sit in singulari: *Ego autem rogavi pro te &c.* Rursus videtur Christus tanquam consequens eruere ex illa oratione, ut Petrus confirmet fratres. Videtur ergo Petro impetrasse indefectibilitatem Fidei in utilitatem Ecclesiæ. Hæc autem indefectibilitas quænam tandem est nisi impossibilitas docendi contraria Fidei? quæ impossibilitas cum in bonum debeat cedere ipsius Ecclesiæ, dicendum illam in successores transfusam esse. Profecto violentus est sensus, quem adductis verbis tribuunt quidam, dicentes Christum rogasse non ut Petrus non deficeret in Fide, sed ut non deficeret in Ecclesia Fides, quam professus est Petrus; quomodo enim (ut alia omittam) verificabitur tunc illud *Rogavi pro te &c.* si nihil speciale ipsi Petro impetratum est?

Si vero alterum, illam sententiam amplectamur oportet, quæ illas explicationes inter se commode conciliat, aliis rejectis, quæ ita non conciliant. Talis porro est sententia statuta; Christus enim per nos oravit pro indefectibilitate Fidei in ipso Petro, tum quatenus hæc indefectibilitas importabat finalem perseverantiam in Fide sua personali (quam ad posteros esse transmissam non est cur dicatur,) tum quatenus importabat impossibilitatem docendi contraria Fidei, quam ad posteros transmissam probant supra adductæ rationes, Cum autem hæc indefectibili-

bilitas sit etiam indefectibilitas Sedis Apostolicæ, cum secum trahat indefectibilitatem Ecclesiæ Romanæ, imo Ecclesiæ universalis, quæ R. Pontifice docente regitur; verificatur & Christum orasse specialiter pro Petro, & pro indeficientia Ecclesiæ Romanæ, & Sedis Apostolicæ, & Ecclesiæ universalis. Quomodo autem in sententia adversariorum conciliari possint allatæ explicationes non video.

Prob. II. assertio ex illo Christi (a) *Tu es Petrus &c.*; si enim Petrus est Petra, supra quam fundata est Ecclesia, fuit in docendo infallibilis; nam cum firmitas ædificii dependeat a firmitate fundamenti, corruente fundamento (ut corrueret, si falsa doceret) corrueret ædificium, quod Ecclesiæ accidere non potest, contra quam portæ inferi non prævalebunt. Successores autem Petri R. Pontifices & ipsi sunt petra, dicente Augustino (b): *Sacerdotes in ipsa Petri Sede, & in Patrum ordine sibi succedentes Petram ipsam esse, quam non vincunt superbæ inferorum portæ.* Ergo &c.

Quæ probatio roboratur ex Patribus. Nam Adrianus II. in professione Fidei, quam ad VIII. Synodum misit, cui nisi subscripsisset, nullus poterat Synodo interesse, inquit: *Quia non potest Domini nostri Jesu Christi prætermitti sententia dicentis: Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam; hæc, quæ dicta sunt, rerum probantur effectibus, quia in Sede Apostolica immaculata est semper Catholica reservata Religio, & sancta celebrata doctrina.* Possessor Episcopus Africanus (c): *A quo magis*, inquit, *est nutantis Fidei stabilitas expetenda, quam ab ejus Sedis Præside, cujus primus Rector a Christo audivit: Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam?* Ergo &c.

Reponunt quidem Galli ex adductis Christi verbis erui non posse infallibilitatem Papæ, tum quia li-

(a) *Matt.* 16. (b) *In Psalm. contr. partem Donati.* (c) *Relat. ad Hormisd.*

licet Petrus (quod idem valeat de successoribus) sit fundamentum Ecclesiæ, est tamen secundarium, cum primarium sit Christus, adeoque Ecclesia non innitatur firmitati Petri, sed Christi, qui eam reget etiam deficiente in Fide R. Pontifice, tum quia etiam Apostoli fuerunt Ecclesiæ fundamenta, & tamen licet ipsi fuerint infallibiles in docendo, nec per nos sunt infallibiles Episcopi ipsorum successores. Sed

Contra. Christus est quidem fundamentum primarium Ecclesiæ, sed invisibile, quod per se immediate non sustentat & regit Ecclesiam, sed mediate, scilicet mediante R. Pontifice fundamento secundario & visibili. Unde licet deficiente in doctrina R. Pontifice non deficeret Christus, non tamen tunc juxta providentiam ordinariam influeret firmitatem in Ecclesiam; sicuti licet deficiente canale, per quem hortus irrigatur, non ideo deficiat fons, a quo primario manant aquæ, non tamen amplius irrigaretur hortus, cum abruptæ essent viæ, per quas a fonte aquæ in hortum derivantur. Infallibilitas autem in Apostolis fuit extraordinaria, illisque concessa non ut Episcopis, sed ut Apostolis. Cum ergo Episcopi illis quidem in Episcopatu, non vero in Apostolatu succedant, hinc ad illos non debebat transire infallibilitas. Sed in Petro fuit ordinaria illique concessa nedum qua Apostolo, sed etiam qua Ecclesiæ capiti, quæ dignitas cum ad R. Pontifices transierit, debebat & ad illos transire infallibilitas. Sane si errent alii Episcopi, possunt a Papa corrigi, at si erret Papa, a quonam Superiore corrigetur, cum nullum ipse in spirituali regimine, ut supra probatum est, Superiorem agnoscat? Tandem si errent alii Episcopi, in errorem ad summum trahent illos Fideles, quibus præsident; at si erret Papa, cum illi totius Ecclesiæ cura commissa sit, omniumque Fidelium sit Pastor, Rector, & Doctor, cujus proinde vocem oves omnes sequi tenentur, errabit tota Ecclesia, quod tamen ex supra dictis est impossibile. Sed jam

Prob. assertio ex sensu Ecclesiæ. In Concilio Lugdunensi II. recepta fuit & approbata professio Fidei Græcorum, in qua habetur: *Ipsa Sancta Romana Ecc-*

cle-

clesia summum & plenum Primatum & Principatum super universam Ecclesiam Catholicam habet, quam se ab ipso Domino in B. Petro Apostolorum Principe, cujus R. Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter & humiliter recognoscit. Et sicut præ cæteris Fidei veritatem tenetur defendere, sic & si quæ de Fide subortæ fuerint quæstiones, suo debent judicio definiri. Profecto si Fidei quæstiones debent judicio R. Ecclesiæ, adeoque R. Pontificis definiri, cum omnes stare debeant sententiæ illius, qui Judex in causis Fidei est constitutus, cumque impossibile sit, ut omnes errent in Fide, impossibile pariter est, ut erret Judex in judicando, adeoque &c.

Prob. ex ipsis Summis Pontificibus. Hi præter supra adductos sunt I. S. Gregorius Magnus, qui ad Galliæ Episcopos scribit: (a) *Si quam contentionem de Fidei causa evenire contigerit, examinata diligentius veritate, relatione sua ad nostram studeat perducere notionem; quatenus a nobis valeat congrua sine dubio sententia terminari.* Qui potest terminare quæstionem de Fide est infallibilis in dicendo, si enim non esset, per suam sententiam non terminaretur quæstio, nam quærendum superesset utrum justa fuisset ipsius sententia. II. Simplicius ad Zenonem Imperatorem scribit: (b) *Perstat in Petri successoribus eadem Apostolicæ norma Doctrinæ, cui Dominus totius curam ovilis injunxit, cui se usque ad finem sæculi minime defuturum, cui portas inferi nunquam prævalituras esse promisit, cujus sententia quæ ligarentur in terris solvi testatus est non posse nec in Cœlo.* III: Nicolaus (c) asserit judicium R. Pontificis esse irretractabile, quale non esset, si posset falsa definire, cum tunc per contrariam veram definitionem retractaretur. Illius verba supra adducta sunt, ubi de

(a) *Lib.* 4. *ep.* 52. (b) *Ep.* 4.
(c) *Ep.* 8. *ad Michael. Imperat.*

de superioritate Papæ in Concilium IV. Clemens VI. in iis Capitulis, quibus debebant subscribere Armeni, ut Ecclesiæ Romanæ sociarentur, hoc decimumtertium proponit: *Si credidisti & adhuc credis solum R. Pontificem in dubiis emergentibus circa Fidem Catholicam posse per determinationem authenticam, cui sit inviolabiliter adhærendum, finem imponere, & esse verum & Catholicum quidquid ipse auctoritate clavium sibi traditaram a Christo determinat esse verum, & quod determinat esse falsum & hæreticum, tale sit censendum* Ergo &c.

Prob. ex Patribus. Præter adductos supra I. S. Hieronymus inquit: (a) *Sancta Romana Ecclesia, quæ semper immaculata mansit, & Domino providente, & B. Petro opem ferente in futuro manebit, sine ulla hæreticorum insultatione firma & immobilis omni tempore in Fide persistet*. II. S. Augustinus statim ac audivit judicium Innocentii I. in damnatione Pelagianorum, pro concione dixit ad Populum: (b) *Rescripta a S. Sede Apostolica venerunt: causa finita est: utinam & error finiatur*, & alibi: (c) *Nec amplius vobiscum agendum est, quantum ad jus examinis pertinet, nisi ut prolatam de hac re sententiam cum pace sequamini*. Si Augustinus audita definitione Innocentii causam Pelagianorum dicit esse finitam, ultimum igitur ipsum agnovit Judicem, cujus proinde judicium esset irretractabile. Nec valent quæ respondent aliqui, ideo dici ab Augustino finitam hanc causam, quia jam Ecclesia universa consenserat in damnationem Pelagianorum, non præcise quia eos Innocentius damnaverat; nam quamvis aliqua fuissent adunata in illam causam Concilia provincialia,

(a) *Epi. ad Damas.*
(b) *Serm.* 131. *de verb. Apost. al.* 2.
(c) *Lib.* 3. *contr. Julian. Cap.* 11.

& in illis Pelagiani fuissent damnati, adhuc tamen non tot fuerant hæc Concilia, ut dici posset Ecclesiam totam illos damnasse, sicque ex damnatione illorum facta per hæc Concilia non poterat dici illorum causa finita. Adde ipsos Pelagianos ex eodem Augustino post sententiam Innocentii postulasse Concilium generale, in quo denuo de eorum causa ageretur. Hoc autem non petiisent, si jam ante sententiam Innocentii Ecclesia in illorum damnationem consensisset; sciebant enim eandem esse auctoritatem Ecclesiæ tam in Concilio, quam extra. En verba Augustini: (a) *Hanc gloriam Pelagiani captare intelliguntur. ut propter illos Orientis & Occidentis Synodus congregetur. Orbem quippe Catholicum, quoniam Domino eis resistente pervertere nequeunt, saltem commovere conantur. Cum potius vigilantia & diligentia pastorali, post factum de illis competens sufficiensque judicium* (nempe ab Innocentio & Zosimo) *ubicumque isti Lupi apparuerint, conterendi sint*. III. S. Petrus Chrysologus ad Eutycherem respondens: *B. Petrus*, inquit, *qui in propria Sede & vivit & præsidet, præstat quærentibus Fidei veritatem*.

Obj. ex ipsis R. Pontificibus. Adrianus VI. inquit: (b) *Si per Romanam Ecclesiam intelligatur Caput illius, puta Pontifex, certum est quod possit errare etiam in his, quæ tangunt fidem heresim per suam determinationem aut decretalem asserendo; plures enim fuere Romani Pontifices heretici*. Quibus familia habent alii quoque Pontifices. Ergo &c.

℟. Adrianum illa commentaria edidisse, cum nondum esset Papa, unde, etsi tunc esset in contraria sententia, nihil contra assertionem. Licet autem ipse factus Papa voluerit, vel permiserit, ut re-

(a) *Lib. 4. ad Bonifac. Cap. ultim.*
(b) *Comment. in IV. Sent. dist. 7.*

recuderentur sua commentaria non retractata prima sententia, non tamen ideo dicendus est in eadem perseverasse, sed solum voluisse, ut appareret quod ipse docuerat, cum esset privatus Doctor. Cæterum alia docuit in illis commentariis, in quibus factus Papa sententiam mutavit, ut cum docuit Papam non posse dispensare cum simplici Presbytero, ut conferat Confirmationis Sacramentum, quod postea factus Papa putavit falsum; dispensavit enim cum Galapione Missonario in Indiis, ut Confirmationem conferret, licet hic esset simplex Presbyter, ut refert Wardinghus. Qui alii Pontifices se fallibiles asseruerunt, nunquam tales se asseruerunt in circumstantiis assertionis. Ergo &c.

Obj. ex historia. Multi Pontifices erraverunt. Nam I. erravit Anicetus, qui teste Tertulliano (a) hæresim Montani probavit, atque Ecclesiis Asiæ & Phrigiæ jussit, ut Montanistas in communionem reciperent.

II. Stephanus I., qui occasione controversiæ de Baptismo Hæreticorum docuit non esse rebaptizandos baptizatos ab Hæreticis *a quacumque hæresi venirent*. Quod assertum ita generaliter prolatum est falsum, cum aliqui fuerint Hæretici ut Paulianistæ, qui, utpote non baptizantes in nomine Trinitatis, invalide baptizabant.

III. Liberius, qui formulæ Sirmiensi Arianam hæresim continenti subscripsit.

IV. Errarunt illi Pontifices, qui in quæstione 4. sæculo agitata, utrum una vel tres essent in Deo hypostases statuendæ, voluerunt unam tantum dicendam esse hypostasim, cum tamen Fides doceat tres esse.

V. Erravit Zosimus libellum Cœlestii tanquam catholicum approbans, qui tamen Pelagianam hæresim continebat.

(a) *Lib. contr. Praxeam.*

VI. Hormisdas damnans hanc propositionem: *Unus de Trinitate passus est*, quæ tamen postea a Joanne II. fuit approbata, & a V. Synodo Fidelibus proposita credenda.

VII. Erravit Honorius Monothelitarum errorem probans, quo factum est, ut in VII. & VIII. Synodo cum aliis Monothelitis damnatus sit.

VIII. Nicolaus III. (a) docuit perfectam paupertatem in abdicatione cujuscumque dominii consistere, & hanc Christum exemplo suo docuisse: at Joannes XXII. (b) docuit hanc paupertatem esse impossibilem, cum impossibile sit, ut in rebus usu consumptibilibus usus ipse separetur a dominio, imo hæreticum declaravit asserere Christum non habuisse aliquarum rerum dominium. Horum autem Pontificum contraria inter se definientium alteruter procul dubio erravit. Ergo &c.

℟. Ad I. non esse in hac re fidendum Tertulliano, qui factus Montanista facile sui erroris patrocinium quæsivit ab auctoritate R. Pontificis perperam adhibita: præterquamquod etiam admisso facto nihil contra assertionem, nulla enim habita est in casu definitio ex Cathedra.

Ad II. ℟. S. Stephanum semper supposuisse Baptisma collatum cum debita forma. Patet hoc ex epistola Firmiliani, qui cum S. Cypriano Baptisma hæreticorum rejiciebat; ita enim Firmilianus de Stephano loquitur: *Non putat quærendum esse quis sit ille, qui baptizaverit, eo quod qui baptizatus est gratiam consequi potuerit invocata Trinitate nominum Patris &c.*

Ad III. ℟. omisso facto, quod hic non vacat examinare, Liberium nihil ex Cathedra definivisse, cum per talem subscriptionem formulam illam toti Ecclesiæ non proposuerit credendam.

Ad

(a) *Decretal.* Exil. qui seminat.
(b) *Extravag.* ad Conditorem & Cum inter

Ad IV. ℟. dictos Pontifices non errasse: nam nomen *hypostasis* ipsi tunc sumebant pro *natura*, cum tamen Orientales trium hypostasum defensores sumerent pro *persona*, quo sensu docet Fides tres esse in Deo hypostases. Cum autem invaluerit postea usus, ut hoc nomen pro *persona*, non pro *natura* adhiberetur, hinc modo tres revera in Deo hypostases sunt dicendæ.

Ad V. ℟: tripliciter: primo librum Cælestii dictum fuisse a Zosimo catholicum, quia licet in illo negaret peccatum originale, librum tamen subjiciebat judicio Sedis Apostolicæ: *Si forte*, dicebat Cælestius apud Augustinum, (a) *ut hominibus quispiam ignorantiæ error obrepsit, vestra sententia corrigatur*. Qua de re audiendus idem Augusinus, qui ait: (b) *Cum hoc* (negationem scilicet originalis) *Cælestius in suo libello posuisset inter illa dumtaxat, de quibus se adhuc dubitare & instrui velle confessus est, in homine accerrimi ingenii, qui profecto si corrigeretur plurimis profuisset, voluntas emendationis, non falsitas dogmatis approbata est. Et propterea libellus ejus catholicus dictus est, quia & hoc catholicæ mentis est, si qua forte aliter sapit, quam veritas exigit non ea certissime definire, sed detecta ac demonstrata respuere*. Secundo ℟. Zosimum non approbasse doctrinam Cælestii. Patet ex eodem Augustino asserente, (c) nunquam dixisse Zosimum nunquam scripsisse, nunquam præcepisse credi oportere hominem nasci sine ullo vitio peccati originalis: tertio ℟. etsi hæresim Pelagianam Zosimus approbasset, non tamen locutus tunc est ex Cathedra, cum non toti Ecclesiæ illam approbationem tenendam proposuerit.

(a) *De peccat. Orig. Lib. 2. cap. 6,*
(b) *Lib. 2. ad Bonifac. cap. 1.*
(c) *citat. loc.*

Ad VI. ℟. Hormisdam non damnasse illam propositionem, sed pertinaciam Monachorum Scytharum contendentium illam necessario Synodo Chalcedonensi addendam. ℟. secundo etsi illam damnasset, illam tamen solum damnasse acceptam in sensu reduplicativo, ut accipiebant Eutychiani ad probandam unitatem naturæ in Christo, non autem in sensu identico & reali ut acceptata fuit a Joanne & a V. Synodo. Posse autem unam propositionem in uno sensu admitti, in alio respui, patet exemplo hujus propositionis: *Pater major me est* (Christo scilicet), quæ licet in se verissima utpote a Christo prolata, in ore tamen Arianorum male audiebat, cum illa uterentur ad divinitatem Christi negandam.

Ad VII. ℟ Vel Honorius Monothelitarum hæresim vere non asseruit, sed solum nimia erga illos indulgentia usus est, & tunc, ut patet, exemplum Honorii non est ad rem: vel asseruit, & tunc erravit ut privatus Doctor, cum de ea in privatis tantum epistolis, non vero coram tota Ecclesia locutus sit. Sed de hoc alibi.

Ad VIII. ℟. primo quod, etsi aliqua in adductis decretis haberentur inter se pugnantia, nihil contra assertionem; non enim apparet aliquid tunc illos Pontifices voluisse ex Cathedra definire, sed solum propriam sententiam exponere, ac leges aliquas statuere. Quod si contenderet aliquis haberi definitionem ex Cathedra in ultima parte Extravagantis *Cum inter*, quia declaratur hæretica propositio asserens Christum nullum habuisse dominium in res temporales, illiusque propositionis assertores anathemati subjiciuntur; ℟. hoc misso non tamen in hac parte contradicere Joannem Nicolao, qui solum contendit Christum non semper habuisse hoc dominium, sed illud quandoque in nostrum exemplum abdicasse.

Quo loco ad pleniorem dictorum intelligentiam, & ad præoccupandas multas difficultates, quæ ex erroribus R. Pontificum peti solent, noto non omnia, quæ in constitutionibus pontificiis habentur, esse definitiones ex Cathedra. Multa enim sunt il-

lo-

lorum responsa ad particulares quæstiones illis propositas, quæ etsi postea in corpus Juris relata adhuc tamen vim definitionis non habent, cum pro tota Ecclesia non sint allata. In iis etiam constitutionibus, quæ pro tota Ecclesia fiunt, & in quibus Papa vere ex Cathedra loquitur, distinguendæ sunt assertiones a probationibus assertionum; illæ enim sunt certæ, non istæ, cum assertiones quidem in casu Ecclesiæ proponantur credendæ, secus probationes.

Ex iis, quæ hactenus pro auctoritate R. Pontificis dicta sunt, hæc in usum Theologorum sunt colligenda: primo Pontificias constitutiones ex Cathedra factas esse locum Theologicum certum: secundo leges tum a Papa conditas, tum a Conciliis per ipsum approbatis omnes Fideles obligare, adeoque etiam ex illis posse Theologum argumenta ducere, quæ sane, præcipue ubi de obligationibus agitur, magnam vim habere censendæ sunt. Si quæ vero argumenta extra hos casus eruuntur ab auctoritate R. Pontificis, ea non ab ipso spectato ut tali, sed ut vel Philosopho, vel Theologo, vel aliter etiam considerato ducentur.

Advertendum etiam aliquas esse Romæ Congregationes, ut Congregatio Rituum, S. Officii, Concilii &c. quæ licet institutæ a Papa non tamen in decretis conditis sunt infallibiles, nisi accedat specialis approbatio ipsius Papæ ea decreta toti Ecclesiæ proponentis, quo casu considerari debent ut decreta ipsius Papæ. Quamvis autem hæc decreta, si non ita a Papa proposita Ecclesiæ, non sint infallibilia, magnæ tamen sunt auctoritatis, utpote emanata a Viris doctrina & prudentia conspicuis, unde ex iis in casu si non certum, saltem probabilissimum poterit Theologus deducere argumentum.



DISSERTATIO VII.

De reliquis Locis Theologicis.

BRevissime expediturus dissertationem hanc, unico Capite complectar loca illa Theologica, quæ supersunt. Sit ergo

CAPUT UNICUM.

AGam hic 1. de auctoritate Theologorum, 2. de ratione naturali, 3. de Historia.

ARTICULUS PRIMUS.

Theologi vel omnes in aliqua assertione conveniunt, vel non omnes. Si primum, ex illorum auctoritate tale poterit erui argumentum, cui temerarium sit refragari: quod si insuper assertio, in qua conveniunt, ab ipsis proponatur ut pertinens ad Fidem aut ad mores, non solum temerarium, sed etiam vel hæreticum erit, vel saltem hæresi proximum. Rationis hujus regulæ pro prima parte hæ sunt: I. quia in quacumque arte peritis credendum est. Igitur etiam in Theologia. II. Concilium Viennense (a) asserit a Catholicis esse eligendam opinionem, quæ dicit tam parvulis, quam adultis conferri in Baptismo informantem gratiam & virtutes, tamquam probabiliorem & modernorum Theologorum magis concordem. Si ergo in re olim controversa tanti fuit apud Patres opinio magis concors modernorum Theologorum; quanto magis res omni tempore a Theolo-

(a) *Clementin.* de summa Trinit.

logis præscriptas nos tenere ac revereri debemus? III. Cum inter Theologos innumeræ sint dissensiones in doctrina, jam, si in aliquo non dissentiunt, id claræ & perspectæ rei veritati est tribuendum.

Rationes pro secunda parte, præter jam adductas, hæ sunt. I. si Theologi omnes in re aliqua proposita ut spectante ad Fidem, aut ad mores errarent, vel erraret, vel esset in proximo errandi periculo Ecclesia; ipsa enim Theologorum doctrina regitur, cum sive qui confessiones audiunt, sive qui ad Populum conciones habent, semper plebem instituant ut a Theologis acceperunt. Præterea consuevit Ecclesia in generalibus Conciliis definitiones suas proferre juxta doctrinam Theologorum. Si ergo impossibile est, ut erret Ecclesia, impossibile pariter erit, ut errent omnes simul Theologi. II. Theologi succedunt SS. Patribus. Sicuti ergo impossibile fuit, ut unanimiter Patres in simili casu errarent, ita etiam Theologi. Ergo &c.

Si vero isti non conveniant inter se, tunc in re nondum ab Ecclesia definita ex Theologorum auctoritate non firmum, sed tantum probabile argumentum erui poterit, quod per se patet: nisi tamen (quod notare præstat) tam pauci starent pro una parte, & tam multi pro alia, ut altera ex sententiis esset moraliter certa, altera vel nullo modo, vel solum tenuiter probabilis, quo casu patet ex horum Theologorum auctoritate vel nullo modo, vel tenuiter solum probabile erui posse argumentum.

Quæ de Theologorum auctoritate dicta sunt proportionaliter ad Canonistas transferri possunt, ad illos scilicet, qui leges canonicas examinant & exponunt, cum istorum & illorum valde sit affinis conditio.

ARTICULUS SECUNDUS.

Dupliciter inservire potest Theologo ratio naturalis: primo ut posita auctoritate ex ipsa ratiocinando deducat conclusiones Theologicas, quo sensu ratio

tio ipsa non videtur locus quidam peculiaris ab aliis distinctus, cum ad omnia alia æque pertineat: secundo ut ex ipsa immediate eruat easdem conclusiones, quo sensu ratio tanquam peculiaris locus Theologicus consideratur.

Ratio ergo naturalis hoc modo considerata aliquando est certa, aliquando non. Si primum, vel est certa metaphysice, vel solum physice, vel solum moraliter. Si est certa metaphysice, tunc firmum argumentum Theologo præbere potest, cum certitudo hæc non solum in naturalibus, sed etiam in supernaturalibus locum habeat: non sic vero si est certa solum physice, aut moraliter; ex quo enim juxta naturæ leges, aut juxta usitatum cursum rerum humanarum aliquid evenire debeat, non sequitur quod pariter evenire debeat in Divinis, cum diversa quoad hoc sit ratio humanarum & naturalium rerum, ac divinarum. Non ergo semper argumentum certum ex his rationibus deduci poterit, sed solum cum revelatio non obstat. Quod si ratio naturalis sit incerta, vel nullo modo est probabilis, & tunc nullum argumentum ex illa, utpote quæ nec rationis nomen meretur, potest deduci; si vero sit probabilis, deduci poterit argumentum probabile proportionaliter tamen ad supra dicta.

Quamvis Theologi assertiones suas ex Scripturis præcipue, Conciliis, & Patribus &c. deducere debeant, non tamen debent ab argumentis a ratione deductis abhorrere. Ut enim illud omittam, quod ex hisce argumentis hæc non levis sane utilitas oritur, ut Theologica dogmata lumini naturali consona, vel saltem non inimica ostendantur, accidit etiam aliquando, (præcipue si res cum illis sit, qui subtilitatibus delectantur) ut opportunissimæ sint argumentationes a ratione ad inimicos Fidei confutandos. Qua in re audiatur Canus inquiens (a): *Di-*

(a) *Lib.* 8. *de loc. Theol. cap.* 2.

Discunt Theologi a David extorquere de manibus hostium gladium, & Goliæ superbissimi caput proprio mucrone truncare. Discunt a Paulo vel inscriptionem fortuitam arte torquere in argumentum Fidei, & quæ in alium usum scripta sunt, ea ad emolumentum ecclesiasticæ doctrinæ convertere. Discunt cum Daniele ac Moyse Chaldæorum Ægyptiorumque sapientiam, si non ut sequantur, at ut judicent, atque convincant. Nec æquum est, ut, si adversum Philosophos disputant, ignorent dogmata Philosophorum, nam & si quispiam adversus Mathematicos velit scribere imperitus Matheseos risui patet.

Ad hunc locum reducitur auctoritas Philosophorum, quæ sane per se non satis firmum argumentum Theologo in re Theologica suppeditare potest, cum Philosophi soli rationi eique non evidenti innixi fallibiles sint, & subinde fuerint decepti. Quod si aliquando rationi aut evidenti, aut aliunde satis validæ nitantur, tunc non tam ex illorum auctoritate, quam ex tali ratione firmum erit cohærenter ad supra explicata argumentum, quod ex illis ducetur.

Ad hunc pariter locum reduci potest auctoritas Juris Civilis, quod per se rationi naturali innixum est. Potest autem Jus Civile Theologo inservire primo ob maximum, quod præbet, adjumentum intelligentiæ Juris Canonici, quod frequentissimi, ut dixi, est usus in Theologia, tum quia a legibus etiam civilibus, si hæ Juri Canonico non adversentur, & etiam nunc vigeant, potest argumentum, ut inquit Canus, ducere Theologus sin minus certum, saltem probabilissimum.

ARTICULUS TERTIUS.


Triplex est historia: *Sacra*, *Ecclesiastica*, & *Prophana*. De priore, quæ Scriptura continetur, jam dixi prima Dissertatione. Historia Ecclesiastica illa est, quæ res Ecclesiæ recenset. Prophana, quæ res ad Ecclesiam non pertinentes. Historiæ Ecle-

clesiasticæ utilitatem, imo necessitatem pro Theologia vel ex hoc ipso, quem modo absolvo, Tractatulo cernere licet, in quo tot ex Ecclesiastica historia deducta sunt argumenta. Et sane cum Theologus ex Conciliis, ex SS. Patribus, ex usibus Ecclesiæ aliisque hujusmodi conclusiones suas probare debeat, vident omnes quantum illi Ecclesiastica historia sit necessaria, utpote quæ omnia ista percenset.

Suam quoque habet utilitatem historia prophana, ex qua aliquando optima potest Theologus desumere argumenta maxime ad convincendos Ethnicos, qui plurimum his historiis fidunt. Ita Tertullianus (a) probat veritatem Religionis nostræ ex quo illi Romani Imperatores, qui hanc oderunt, fuerunt etiam moraliter mali, ut constat ex Romanorum historiis, qui vero non oderunt, fuerunt moraliter boni.

Cavendum tamen est, ut probatæ solum historiæ adhibeantur, supposititiæ rejiciantur. Ad quod maxime confert Ars Critica, non illa quidem, quæ fere omnia ex levissimis conjecturis in dubium revocat, sed quæ juxta prudentiæ leges facta examinat, factorumque circumstantias, ut certa a dubiis & supposititiis distinguat.

Finis Primæ Partis Tomi Primi.



(a) *Apologet. Cap.* 5.

INDEX

Eorum, quæ in hac Parte prima Tomi primi continentur:



DIS-

FINIS.



